GABRIELIS HARVEII VALDINATIS, SMITHVS; VEL MVSARVM LACHRYMÆ:

Pro obitu Honoratissimi viri, atque hominis multis nominibus clarissimi, Thomæ Smithi, Equitis Britanni, Maiestatisque Regiæ Secretarij.

AD GVALTERVM MILDMAIVM, Equitem Britannum, & Consiliarium Regium.

LONDINI,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA HENRICI BINNEMANI.
ANNO CIↃ. IↃ. LXXVIII.



¶HONORATISSIMO,

PRÆSTANTISSIMOQVE VIRO,

GVALTERO MILDMAIO,

Illustrissimæ Reginæ à Consilijs, atque
Regij fisci Cancellario.

LIs erat, vtri horũ Vates, Smithóne propinquo,
An plus Mildmaio deberet, maximus olim
Qui studiorũ esset, doctrinarumqúe Patronus.
Fortunati ambo, si quid mea Musa valebit,
Nulla decus vestrum tenebris Nox obruet atris.
Audijt, & subitò; Quin hanc ego protinus omnem
Dirimam, ait, litem fatali, Parca, sagitta.
Continuoqúe arcu tenso, veneranda propinqui
Pectora percussit, pectus quoque sydera scandit,
Ipsius ad solium Jouis omnipotentis eburnum.
Astiterant Charites, facinusqúe immane reuellunt:
Et tandem; ô Aulæ nimis inuida Parca; canebant.
Ingeminatqúe Echo gemibunda voce querelam.
Illa nihil Charitum, nihil Aulæ verba morata,
Irridensqúe Echô, meqúe ore affata maligno,
Stulte, quid est? an adhuc, inquit, sub Judice lis est?
An dubitas etiamnum, vtri, Smithóne propinquo,

An mage Mildmaio ſis deditus, optimus olim
Qui ſtudiorum eſſet, doctrinarumque Patronus?
Colligo me, lachrymaſque mihi, lachrymaſque Camœnis
Impono: quales olim Phaetontis adignes
Profudiſſe reor queribunda voce Sorores
Infauſtas: iubeo Fratrem plorare minorem:
Verſiculoſque tui (namque is mihi ſemper Homerus
Alter erat) Bingi, vel Phœbo, ac Pallade dignos
Exigo: & his vitam æternam conferre propinquo,
Qua poſſem ratione, iterumque, iterumque laboro,
Carminibuſque ſacris Furias, Parcaſque laceſſo.
Nulla mora eſt, nodum diſſolueras Atropos; Vnus
Mildmaius ſupereſt; ſunt vni noſtra dicanda;
Vnicus ille mihi pro centum millibus Heros.
Ergo meas lachrymas, non quæis funduntur ocellis,
(Sunt illi nimium miſeri, nimiumque fluentes,)
Sed quibus ante annos octo, mea ſcripta ſolebas
Qualiacunque, (fuit iam tum puerilis auena)
Aſpice, Mecœnas, oculis fœlicibus: & ſi
Gaudia quando meus mage fortunatus Apollo
Fuderit, ac Lachrymas riſu, mala triſtia, lætis
Profligata bonis mutauerit, illa ſubinde,
Porrectis manibus tibi conſecrabo, decuſque
Mildmaianum alacri melius cantabo Thalia.
Huic mage Io Pæan, *& amœnis Cantica verbis*
Conuenient,

Conuenient, tragico quàm, Proh dolor, ore ſonare:
Quàm miſeris iterare modis vehementiùs, Eheu,
Interea Lachrymas Smithæo nomine fuſas,
Sæpius & querulis repetitum verſibus, Eheu,
Vate ab eo, vatem quem magnificentia fecit
Mildmaiana, bonam in partem Smithæus amicus
Conſule: & Harueium ſolito complectere amore,
Qui tibi, quique tuis ſolitos impertit honores,
Milleque Mildmaios patriæque, ſibique precatur.
Defuncti iactura minor, Reſpublica maior
Noſtra foret, regnumque omni floreret honore:
Nec fortuna mihi mage fortunata deeſſet.
O ſed ego fruſtrà plures deſidero: Smithus
Ex albo ſublatus, agit diuinitus æuum:
Deperière alij: vix ſeptem ex mille ſuperſunt:
Deſine tot, tantoſque homines, Harueie, precari,
Vni Mildmaio, (quoniam nouus *incipit* annus)
Exopta potiùs mille annos, omine fauſtos,
Et ſplendore nouos, & proſperitate beatos,
Et quales Smitho quondam exoptare ſolebas,
Cuius erat tibi vita omni precioſior Auro.
Sic faciam; & quoniam mortem iam Smithus obiuit,
Tu ſimul & Mildmaius eris, ſimul & mihi Smithus.
Sis fœlix, ſemperque tibi nouus, & nouus Annus
Inſperata animi coaceruet gaudia læti,

Accumulet qúe nouos, raræ virtutis honores.
Ex animo loquor: aut tu me noue Jane refelle,
Cuius ego veneror Musa peramante Calendas.
Sunt alij testes: sed Mens mihi maxima testis,
Que Linguæ admouit calcaria, fræna pudori.

Gabriell Harueius,
longè Honoris tui obser-
uantissimus.

Insignia Honoratissmi viri, & amplissimi Equitis, Thomæ Smithi, nuper defuncti.

Emblema.

Quâ pote, Lucet.



Gabriel Harueius ad Charites, de Smithæis Insignibus.

EN vobis Charites, Smitheæ Insignia gentis:
Sunt aliàs; sunt hîc etiam sua præmia laudi.
Arma vocant: sunt Arma hominis, magis igne co-
Igneus est olli vigor, & cœlestis origo; (rusci,
Qualis erat priscis, validisque Heroibus olim,
Et qualem Iapeto salus altis clepsit ab astris.
Frustra ignem calcas Salamandra, faceisque micantes
Nequicquam premis: ecce faces, ecce aurea flamma
Hinc, atque hinc splendescit; & Ignis, quâ pote, lucet.
O meus, ô nostrorum hominum sic luceat Ignis.

Charites ad G. Harueium.

ET plures Smithos, & plura insignia iacta:
Haud vnquam deerunt sua præmia debita laudi.
Quin etiam ollorum, quibus igneus est vigor, arma
Æthereas inter flammas, atque astra micabunt,
Insignita polo, nitidisque simillima stellis.
Non illis Salamandra, tuum læthale venenum
Obstabit, quò celsa minùs, speciosaque scandant

Astra; tumescenti rumpantur vt illia Momo,
Æternùm Virtus radiabit, & inclyta cœli
Tecta colet: tritum est, Reuiresçit vulnere, *pressa*
Emergit: quandoque Vter *submergitur, illa*
Nunquam: Palma *virens aliquando vincitur, illa*
Nunquam: Gemma *potest cœno fœdarier, illa*
Obfuscata nitet, non deformata tenebris,
Non maculis: Smithus Salamandræ *toxica sensit,*
Emicuit tamen: haud facile est extinguere lumen
O Vulcane tuum: sursum volat impiger ignis,
Atria diuorum penetrat, seque aggregat astris,
Non clausis terræ latitans aliquando cauernis,
Non vllis strictus vinclis, loca summa capessens.
Quâ pote lucet, *erat nostri sententia Smithi.*
Vndique lucet; *erit nostri sententia Smithi:*
Nil Salamandra *vales: nil dira venena potestis:*
Nil tu Zoile potes, nihil importune Melite:
Viuentes rodit Liuor, *non pascitur vmbris.*
Manibus haud aconita nocent, neque tela sepulchris.
Valdinas, Harueie, tuus super æthera, stellæ
Instar habet, radiosque vibrat sine fine coruscos.
Terrenam Incudem *tutudit: neque gloria parua*
Sic tutudisse, fuit viuo, neque gloria parua
Mortuo erit: nunc sed, nunc aurea tundit Olympi
Sydera, & igne nouo flammatus, despicit ignes,

Quos

Quos modo ſuſpexit, Mundoque, ignique cadaco
Dicit, vt ante illum Materque, Paterque, Valete:
Totus ad æthereos ſic eſt compoſtus honores.
Plura quid addamus? ſunt Smitho cælitus Arma,
Sunt hîc: ſed nihil eſt *tumulus collatus Olympo.*

LOndini poſtridie funeris ampliſſimi viri, Thomæ Smithi, perhonorificè, vti mihi quidem videbatur, ſepulti, & ſuis vndique ſplendidiſſimis, præclariſſimiſque circumfuſi: in quorum ſempiternã memoriã, ſimul & Emblematis illuſtrationem, quo multa ſibi videbatur perſtrinxiſſe; Honoris, ac magnificentiæ ergo, hoc, ſiue heroicos, ſiue etiam heraldicos verſus, (eo enim a me nomine petebantur) in Hoſpitio effudi; Charitum appellatione omnes complexus, vel Smitheæ dignitatis cupidos (quos eſſe credo prope innumerabiles) vel antiquæ virtutis, humanitatiſque ſtudioſos: quos eſſe in Britannia veſtra cupio infinitos.

Aaij

Erratorum Elenchus; quæ Typographo, *absente nimirùm Authore, exciderunt: quæque initio debeant à Lectore quamprimùm emendari.*

B.ij.pag.2.lin.20.pro illi, lege vlli.
B.iij.pag.2.lin.1.lege Germanæ, cum diphthongo.
B.iij.lin.24.lege Florentia, cum littera maiuscula.
C.j.pag.3.lin.5.lege inuicte.
C.ij.pag.3.lin.18.pro come, lege cane.
C.iij.lin.20.pro nunquam, lege vnquam.
C.iij.lin.9.pro commate fac Colon in fine versus.
C.iiij.lin.8.post basiolis, fac Colon, :
D.ij.Pag.4. in 2. versu Calliop. pro non te, lege num te, vers.8. pro stupore lege stupete.
D.iij.vers.16.pro commate fac periodum.
D.iiij.vers.16.b.lege Nec studiosorum.
F.i.vers.1.b.pro amis, fac amsi.
F.ij.ver.3.pro colo fac periodum.vers.13.pro perceret, parceret.
F.j.vers.12.b.pro amici lege amisi.
F.ij.vers.6.lege tumulo.vers.7.lege obiuit.
G.iij.ver.19.lege spargere.vers.20.lege addere.vers.23.b.lege tumulusque.
G.iiij.vers.18.pro æquo lege æquo.

Si qua præterea occurrerint alia, (quod festinanti Typographo propemodùm erat necesse) ea non indiligens Lector perfacile emendabit.

GABRIELIS HARVEII VALDINATIS LACHRYMÆ, AD IOANNEM VVDDVM, CLARISSIMI EQVITIS, Thomæ Smithi, dum viueret, amanuensem, & Sororis filium.

EGo diuino si numine percitus essem
Vudde, meoque, tuoque valerem pandere luctus.
Elicerem saxis lachrymas, pluuiisque maderet
Tristibus aër, & hæc miserandas charta querelas
Ederet, & Musæ fletu, gemituque perirent.
O Deus, an periit Musarum gloria Smithus;
Smithus, Vudde, meus, tuus, [redacted] suorum,
Victurus nobis, si non sibi viuere posset?
Ah periit, tua me nisi fallat Epistola, sed, sed
O tua sed potiùs me fallat Epistola sæpe,
Quàm Caput vt venerandum illud, sanctumque periret.
In dubio mens est: sed quorsum insania? certum est
Occubuisse. Vale caput immortale, Deumque,
Angelicosque choros inter, mentesque beatas
Gaudia carpe, animumque æterno nectare pasce.
Fortunatæ vrnæ, quibus insunt ossa virorum

Tantorum: ô cineres decies, vicieſque beatos:
His laurumque, crocumque æquum eſt innaſcier, atque
Lilia; & Angelicas turmas, & numina cœli,
Ælyſioſque animos habitare ſepulchra, modoſque
Occinere æthereos, Furiaſque arcere malignas.
At tu Vudde, tuis oculis ſi forte videres
Hos oculos, quibus attonitus tua ſcripta ſtupeſco;
Jurares migraſſe illuc ſeptem flua Nili
Oſtia, & vndarum torrentibus ora rigaſſe,
Fluminibuſque genas compleſſe perennibus iſtas.
Jam ſi animum penetrare meum, pectuſque tueri,
Rimarique intus, præcordiaque abdita poſſes
Excutere, ac mentis cæcos aperire receſſus,
Scrutarique omnes latebras, & cernere motus:
O ibi quos ignes, æſtus, incendia, flammas
Conſpiceres? Ætnæ toſtum feruoribus intus,
Accendi totum, periturum ardore putares.
Nec tamen iſti ignes illos extinguere fletus
Vudde valent: Ætnam Nilus, flammã vnda fugauit.
Vicerunt Lachrymæ: ſic, vt ſi carmina vellem
Pangere, non ſinerent chartæ mandare fideli,
Omnia ſed madidis fœdarent vndique guttis.
Quid facerem? Diuini hominis lugubria fata
Non verſu cantata meo, non ore, tacerem?
Grande nefas ſiluiſſe: fuit, fuit ille perenne

Exemplar

Exemplar vitæ, ſtudij, morumque meorum.
Ergo animus ſuadet (quoniam me dicere lingua,
Scribere penna vetat) ſuperas ex ordine Muſas
Implorare, Deaſque altis obtundere votis.
Namque erat, aut nemo, Muſarum filius ille.
Eia Pierides, ſuperis deſcendite, cœlos
Linquite, vt in cœlos animal cœleſte vehatis.
Non eſt ex iſtis contempta ſorte miſellis:
Non ex ſordidulis mortalibus vnus, ad eſcam,
Abdomenque ſatus: non quidam de grege doctus:
Sed neque purpureus (præſusue, Midasue, recensue
Aulicus, heſterno vix nobilitatus honore.
Vir fuit ad laudem Patriæque, ſuamque, ſuorumque
Ortus, & Auguſtis magnorum Principum in Aulis
Magnus, apudque ſuos populares clarus, apudque
Externos homines celebris: linguaque, animoque
Magnates inter pollens; ceu Tullius olim
Conſcriptos inter Patres; ſtudioque, fideque
Angliadum genus obſtringens, velut ille Quiritum.
Haud illi meritis cedens illuſtribus: omnes
Vno animo complexus opes: cui nobile Smithi
Ignotum nomen? Superis deſcendite Muſæ,
Euge bonæ Muſæ, ſuperorum ad celſa theatra
Ferte virum, literis nulli, virtute ſecundum
Paucis, doctrina Socratem, prudentia Vliſſem,
Europæ decus, & monumentum inſigne Britannum.

O oculis ter grata meis ſpectacula: Cœlum
Seſe aperit, coramq; adſunt ſtipata cateruis
Angelicis, auro magis aurea Numina diuûm.

Vudde ſile, placidaſq; aures, & pectora dictis
Arrige: credibile eſt magnum eſſe in Carmine numen.
Aſpice, vt Ambroſios oculos attollere Clio
Incipiat, niueaſq; manus, & candida labra
Dirigat huc: Vocis flectuntur Numina Cœli.

Muſarum

MVSARVM LACHRYMÆ;

Nouem luctuosis Canticis, seu Nœniis effusæ.

Canticum. I.

CLIO.

Ermane, (sic Fata volunt) Valdinius Heros;
Sol Cantabrigiæ, lux Aulæ, gloria Regni;
Artibus, ingenio, linguis, virtutibus, actis
Inclytus; Henrici ter magni Regis alumnus;
Dextra Somersæti ducis; Eduardiq̃, beati
Principis os; & quæ nunc Regia sceptra tuetur,
Nunc manus, & nunc pes, oculusq̃, ac pectus Elissæ;
Auratus miles Britannos inter, & inter
Hybernos summus Dominus, spectatus vtrinque
Consilio, virtute animi, sapientibus ausis;
Clarus apud Scotos, Gallos celeberrimus inter,
Germanisq̃, Italisq̃, & Iberis cognitus ipsis;
Mercurius lingua, Mars pectore, Pythius arte,
Ex multis veluti Geniis, Diuisque creatus;
Atque hunc, atque illum vario splendore, suaque
Et propria virtute omnes quasi denuò fingens;
(Lingua hæret, sed frustra hæret) mea dextera Smithus,
Flos delibatus populi, Suadæq̃ medulla,
Et verè vt dicam, Phœnix, atque vnica Phœnix
Aonidum, Phœbiq̃ caput, cerebrumq̃ Mineruæ,
Historiæq̃ animus, parsq̃ optima Maxima Cliûs

Occubuit, magno literarum detrimento.
Nos miseræ flemus, sed fletum negligit ille,
Postremumque Vale, postremaque verba locutus.
Credo equidem Musas, (nam sic mihi credere fas est)
Et Phœbum, & Phœben voluit, vateſque Heliconi
Postremumque Vale, postremaque dicere verba.
O infœlices Musas, miserumque Helicona.
Namque ego te Liui, teque ô comptissime Cæsar,
Et breuitate valens Sallusti, & acumine pollens
Thucidida, gemituſque tuos, gemituſque tuorum
Herodote omitto; voſque omnes, Troge, Laerti,
Attica Musa, Dion, Plutarche, Sabellice, Strabo,
Præterco: taceo Tacitum, Eutropiumque, alioſque
Innumeros, quos ſæpe manu tractauerat ille,
Partim Italos, partim Gallos, partimque Britannos.
Nam te ſæpe, Ioui, & te Guicchardine reuoluit
Sæpius, & Cominæe tuos ſæpiſſimè libros,
Et Bellaie, tuos: Gallúmque recentia bella,
Bellorumque anſas, effectaque dira notauit:
Progreſſuſque omnes, agitataque pectore vafro
Conſilia, atque aſtus Mediceo ſemine dignos,
Dignos Principibus, Machaucllı lege creatis,
Judicio grandi expendit: Rhetiſque latebras
Multiplices, & quæ genuit florentia monſtra,
Pariſij peperêre, animo præſenſit acuto.
Mitto alia, atque alios: Te, te quoque, Candide More,

Teque

Teqúe Beda, & nimium in rebus Polydore Britannis,
Externaqúe audax in gente, iterumqúe, iterumqúe
Legit, & ingentem ex vobis cumulauit aceruum
Rerum aliqua ſuſceptarum ratione, animoqúe
Geſtarum excelſo, nouitqúe auguſta trophæa
Illorum, grandeſqúe horum, fœdaſqúe ruinas,
Iudicium qúe ſuum, dum comparat vltima primis,
Succeſſuſqúe agitat, cauſaſqúe, effectaqúe confert,
Egregiè confirmauit, ſapuitqúe profundum.
Sed quid ego miſeros Smitheo funere dicam
Hiſtoricos? miſer eſt Phœbus, miſeranda Minerua,
Ter miſeræ Charites: placet & geminare querelam,
O infœlices Muſas, miſerumqúe Helicona.
Sol Cantabrigiæ miſerandam eſt paſſus Eclypſim:
Vná & Municipes cuncti, Cantabria proles,
Ipſæ etiam literæ, linguæqúe, arteſqúe, Deæqúe,
Diyqúe Heliconiades, Parnaſſi numina, templa
Pieridum, ipſe etiam miſerandam Phœbus Eclypſim
Eſt paſſus: quid ni geminem, ingeminemqúe querelam?
O infœlices Muſas, miſerumqúe Helicona.

Can-

150. # Canticum. II.

MELPOMENE.

CLio, quod Fata volunt, mutabile non est:
At meminisse animus refugit, vincliſq; ligata
Dicere lingua horret, Septembribus hiſce Calendis,
Quas ego deteſtor, quas tu Soror, execraris,
Interiſſe hominem, dignum immortalibus annis.
Siue ſuas ſpectes virtutes, ſiue aliena
Commoda, ſiue ſuæ Reginæ, ac Gentis honorem.
O ego quæ patior? quæ mentem inſania vexat?
Qui motus agitant pectuſq;, & viſcera, & omnes
Exanimant artus? quis me Furor occupat intus?
Quæ Furiæ inuadunt? nunquámne hæc vincula læthi
Rumpentur? ſempérne genis duriſſima Parca
Incuties Lachrymas? ſempérne hæc viſcera tundes?
Vnus erat multorum inſtar Valdinius Heros
Non Solo, non Neſtor tanti, non quicquid vbique
Græcia magniloquis iactat verboſa Camænis.
Roma tace, digitoq; vno compeſce labellum:
Nil ſimile eſt, Craſſus nihil eſt, nil Scæuola, nil tu
Qui virtute tua nixus clamare ſolebas,
O fortunatam, natam me Conſule Romam.
Diſrumpare licet, rumpaſq; hæc viſcera, Noctis
Filia: decretum eſt cruciarier intus, & extra;
Meq;, meoſq; artus Diris addicere ſæuis,
Poſtremumq; Vale fugitiuo dicere Baccho.

Æſchylus

Æschylus exclamet: Sophocles plangore liquescat:
Euripides, (nisi quis Socratem iam dicere mauult)
Quem Noster tam sæpe, suis prælegit alumnis,
Æternùm ploret, Tragicoque incedat amictu.
Se necet extemplo Seneca, & squallore rigescens
Abiyce nunc inuecte tuum Buchanane cothurnum.
Tuque tuos Ludouice modos, & tristia Dolcis
Carmina, tuque tuas Pacti generose querelas,
Et vos grandiloqui vates, tragicique Poëtæ,
Qui Ligerim incolitis, Rhodanūq;, Araremq;, & Iberū,
Et Rhenum, & Tamesim, & quotquot floretis vbique
Carmine fœlices; quorum Ronsardus in albo
Obtinuit primas; in ocellis scribite versus
Luctificos: atramentum sit Lachryma: Chartam
Nil moror: est Oculus peridonea charta dolenti:
Est pectus, varijs constrictum angoribus intus.
Cætera sunt nugæ: valeat Phœbusque, virensque
Laurea, & altiloquis argentea penna Magistris
Debita: summus erit nostra in ditione Poëta,
Præstiterit quicunque alijs vlulando Poëtis.
Huius ego imponi capiti diadema coruscans,
Et sceptrum, & solium huic cuperem sublime parari.
Quàm vellem resonare polum singultibus altis:
Cælicolasque ipsos planctu, gemituque crepare.
Non vllus miseræ luctus satis esse videtur.

Canticum. III.

THALIA.

MElpomene, mea Melpomene, ſoror optima, quid fles?
Quid crucias animum, pectuſq;, & mẽbra retũdis,
Atque comas, atque os laceras, (miſerabile viſu?)
Diſpereat centum necibus mactata Thalia,
Ni vitam, inuitis Furijs, Valdinius Heros
Æternam degat, læthumque, ac funera vincat.
Atropos haud tanti, neque torua Megæra, nec vmbræ
Tartareæ, Laruæque truces, Stygiuſue tyrannus:
Vt fato addicant animal cœleſte, Deorum
E gremio in terras delapſum, & more Promethei
Igne ſuo mortale genus, facibuſque coruſcans
Æthereis; quales rarò Cantabria ſenſit
Ante Checum, Smithumque, *homines diuinitùs ortos.*
Vos igitur patriæ duo propugnacula laudis,
Gloria Saxonidum, vita immortale fruentes.
Sydereos inter manes, animaſque beatas
Floretis, dignumque illis virtutibus, ante
Sedibus è ſuperûm lapſis, traducitis æuum.
Nomina nos miſeræ recinemus veſtra, Checumque,
Ac Smithum heroës inter, diuoſque celebres
Ponemus, magnumque videbitur, eſſe propinquum
Siue huic, ſiue illi: fœlix Valdinea Smitho,
Fortunata Checo *Cantabria: magnus vterque*
Brutiadum famam ſuper altum vexit Olympum.
Illorumque decus Britannia grata viciſſim

Augebis, multoſque ſimul velut agmine facto
Effundes noua pangentes encomia vates.
Creſcite Naſones, Plauti, lepidique Tibulli:
Creſcite Chauceri, Petrarchæ, Boccatiique
Angliadæ: Charites, Suadæque, ſaleſque Britanni,
Ciuileſque ioci, feſtiuaque creſcite dicta.
Ingenium mihi More *tuum; tua* Carre *venuſtas;*
Mens tua Binge *placet; placet & tua* Binge *Camæna;*
Eloquium Leuine *tuum; tua* Clerce *Süada;*
Denique Vilſo *tuum plenum grauitatis acumen.*
Nil vulgare iuuat: fuerant duo lumina gentis
Rara: fuêre manus geminæ, linguæque gemellæ:
Pæne etiam geminas animas, & corda gemella
Dixerim honorati regni: ſic vita duorum
Vita mihi Patriæ; ſic mors, buſtumque duorum
Pæne etiam Patriæ interitus, buſtumque videtur.
Talibus exſpectem præconia rara ſepulchris.
In tumulo iaceant alij ſine Carmine: vermes
Arrodant artus: puluiſque cadauera, nomen
Fama tegat: vixiſſe aliquando neſciat orbis.
Talia grande nefas non inſignire ſepulchra
Carminibus, violis, ſertis redolentibus, hymnis,
Elogiiſque nouis, ornamentiſque vetuſtis,
Ipſa ego vel tumulos ipſos, urnaſque beatas
Sentio, & appoſitis veneror pullata Camænis.
Sæpe etiam appello fælicia ſaxa ſepulchri.

Canticum. IV.

EVTERPE.

Heu, quàm difficile est gemitũ non prodere voce?
Sæpe ego, Germanæ, filum interrumpere vestri
Sermonis volui, proprium expositura dolorem.
Abicci calamos, Smitheum sunus adorans;
Et statui narrare hominis cœlestia dona.
Et memorare artes, & decantare lepores.
Nunc, quid ego satagam, quod vos patrastis abunde?
Quid loquar? an prima repetens ab origine pandam
Et quæ illum puerum, & quæ illum iuuenemq;, virumq;,
Atque senem ornabant virtutes? multa locuta,
Pauca suis, perpauca suis dixisse videbor.
Quin taceam? tacuisse nefas: iuuat esse locutam.
Smithe, bonis auibus superorum tecta reuise,
Vise tuos ignes, radiosque, ac lumina mentis
Enthea, de Cælo descendit amabile fulgur,
Quo pectus, cerebrumq; tuum, totusque flagrabat
Smithus, inextinctis collucens vndique flammis.
Tu come Io Pæan: dum nos ploramus, & Eheu
In medijs syluis vlulantes, more Luporum
Tristium, & interdum, Væ nobis, ingeminamus:
Sæpe etiam Cælum, ac terram, pelagusque profundum
In nos, in natos, in amicos, in peregrinos,
In patriam, in patres, in auos testamur, in omnes,
Qui nos vel minimo digito sunt lædere visi:

In sanosque

Insanoſque ſonos rabioſo fundimus ore.
Dum mala patramus, ſoli perſpecta Tonanti,
Et tragicas diris agitamus mentibus iras.
Smithe vale, Valdinatum SPES prima tuorum;
Altera SPES Aulæ; SPES tertia Cantabriorum;
Vltima Muſarum (proh Fata immania, proh Mors)
Vltima Muſarum SPES, & ſpes maxima Smithe;
Smithe Deo, ſuperiſque, & ſtellis grate, poloque
Sydereo, & toti longè optatiſſime cœlo.
Cætera quid referam? Smithus fuit omnia, & omnes
Solus, & eſt ſolis ſuperis, diuiſque ſecundus.
Cede illi venerande ſenex, clariſſime Sturmi,
Cedite Mureti, Oſorij, Stephanique trilingues,
Alciatique graues, ſapientipotenſque Bodine.
Hunc penes eſt vnum Victoria: cedite Galli,
Germanique, Italique, & Iberi cedite Smitho.
Solis ille fuit ſuperis, diuiſque ſecundus:
Solis eſt, & erit ſuperis, diuiſque ſecundus.
Hæc tua ſemper erit, ſuauiſſime Tityre, Muſa
Sic Melibœe canes: erit hæc tibi dulcis auena
Theocrite; atque tuis eadem paſtoribus, inſtar
Fiſtulæ erit: nec non eadem, Baptiſta, Napæis
Canna tuis: pariterque meis quicunq; Camænis
Allecti, noſtros auidè captatis amores,
Solis ille fuit; *modulata voce canetis.*

Canticum. V.

TERPSICHORE.

NEade Puer, cytharamq; auratam frange, nec vnquã
Musica chorda sonet; postquàm in mortalia Noster
Tecta, Deúm ad sedes raptus super æthera, liquit.
Non bene conueniunt Lachrymæ, neruique canori.
Desine ploratum Niobe, iam Tantalis altra
Terpsichore, lachrymarum vndis, fluuiisque made scat.
Quid stas praue Puer? cytharam rape, frange, reuelle:
Mille mihi cythararum instar lachrymæque, dolorque,
Et gemitus nocteque, dieque hæc viscera torquens.
Quàm vellem in pluuiam mutarier, omniaque ossa
Vertier in guttas madidas, Nilumque, fretumque
Vincere aquis, Pyrrhæque vadas renouare querelas.
O si nunc regnaret Aquarius, & duo Pisces,
Diluuioque orbem obruerent, fluctuque gementi
Pro lachrymis, pelagusque, ac pontum suppeditarent.
Surge precor Tethys, vosque ó Nereïdes antra
Linquite, & his scopulis Neptune tridentifer hære.
Tolle caput Nereû, non conuenientior alter
Est locus; en gurges, vortexque immanis aquarum:
Quantum vix nunquàm nubes peperére liquentes.
Nulla mearum audita tibi, nec visa sororum,
Quæ lachrymarum æquor non fundit, & omnia passim
Fluminibus loca replet; postquàm Noster Olympum
Conscendit, Cœlumque altum, cognataque calcat

Sydera,

Sydera, & aſcriptus Iouis omnipotentis in aulam
Deſpicit ex alto mortalia regna, Deúmque
Conſpectu captus, Muſarum temnit honores.
Actum eſt de Flacco: tua Muſica deſyt eſſe
Pindare Muſa: lyris fractis Surrëius Heros
Cantica ſuppreſſit: pſalteria ludicra Vatum
Triſtè ſonant: mæret Sappho: lachrymatur Apollo:
Simonides lyricos iamque execratur amores,
Plorat & Amphion, & Thracius ingemit Orpheus,
Quin ego me Diris infortunata dicabo:
Nec Solem aſpiciam, nec ſurſum ad ſydera vultum
Erigam, in horrendis, ſeu Noctua fœda, tenebris
Perpetuo latitans; mihique ipſi vulnera crebra
Infligens, lacerabo genas, crineſque reuellam;
Harmoniamque exoſa omnem, nocteſque, dieſque
Lugubri inſanas vlulabo voce querelas.
Noſter abeſt, heu, Noſter abeſt, heu, Noſtra ſequetur
Tota cohors: nihilumque tibi, nihilumque Camænis
Terpſichore ſupereſt, præter lacrymabile Carmen,
Et gemebunda imo ſuſpiria pectore ducta.

Can-

MVSARVM

Canticum. VI.

ERATO.

IAm ludi, iam blanditiæ, iam plectra valete,
Tuque Venus plora, tuque ô pharetrate Cupido,
Et vos delitiæ, nocturnaque festa Choreæ.
Bembe tace; Cauicæe tace; Pontane taceto:
More sile; Surreie sile; Gascoigne sileto.
Musa apage à dorso petulans: lasciua valete
Carmina: non numeris locus est, non mollibus odis,
Non pedibus, non basiolis schola tota Cynædûm,
Et saltatorum, cytharistarumque tabernæ
Instar erunt mihi pestis, & instar flebilis Orci.
Vana chelys procul hinc vastos portetur in agros,
Et saltet Deus Arcadiæ, Nymphæque salaces
Cum Satyris: nobis non tam licet esse petulcis.
Te moriente, mori certum est, suauissime Thoma,
Aut ego si viuo, & si quid mea Carmina possunt,
Tu viues; velutique olim Pompeius, & olim
Pelæus iuuenis, Magnus; *postque Inuperator*
Antonius, Pius *est augusto nomine dictus:*
Sic quoque tu Magnusque, Piusque *vocabere semper.*
Hæc tua erunt posthac cognomina: desine scriptor
Dicere Pompeium Magnum: *Fortuna domare*
Hunc potuit: potuit Thomas iam viuus, & ecce
Mortuus exclamat, super orbes fixus Olympi:
Maior sum, quã cui possit Fortuna nocere.

Huc aggregemus Epitaphium excellentissimi Oratoris, & Poetæ, Thomæ Bingi, in eandem sententiã: Smithumq; posthac cognomento MAGNVM Vsurpemus.

Quin

Quin tu Magnus *eras nuper vocitatus Eraſme,*
Et tu Magnus *eras medicis Paracelſe nouellis:*
Aſt neque Magnus *eras noſtro huic collatus Eraſme,*
Et tu Paruus *eras noſtro huic* Bombaſte *relatus.*
Sic altrum variis excelluit artibus; altrum
Herbarum, lapidumque, metallorumque vigorem
Eliciendo, volens Naturæ aperire latebras,
Et venas rimari omnes, tectaſque medullas.
Haud illo, illorum quiſquam, quos dicimus eſſe
Ter Magnos *(neque enim te nunc ego Carole* Magne
Excipio; mittoque Albertum, nomine Magnum,
Re modicum) Maioúe *fuit, Meliorue putandus.*
Sic cunctos obiit numeros ſplendoris auiti,
Atque artes omnes quaſi in artem compulit vnam.
Euge piæ Muſæ, Thomæum ad funus odores
Spargite, lacrymulis tumulum, ceu floribus arcas,
Ornate, huic violas, & lilia blanda, roſaſque
Porrigite; & tumulo æternum ſuperaddite Carmen:

Smithus ego, Regum magnorum Pacifer Hermes, *Epitaphium.*
Natus ad omne decus patriæque, illiſque, mihique.
Alter eram Socrates, Deus intùs, ruſticus extrà,
Non ſpecie, ſed reuerâ mirabilis orbi.
Vera cano, perſpecta mihi, teſtata Camænis,
Nota ſatis mundo: potuit ſic dicere noſter,
Pacifer ille fui: *potuit quoque dicere noſter,*
Alter eram Socrates: *vel nunquàm dicere quiſquam.*

Æternum iam Smithe vale: tibi sacra parantur
Digna tuis meritis: forsan Smithalia *dicet*
Posteritas; nobis satis est feciſſe: alienos
Sit penes arbitrium fingendi nominis: astra
Tu colis, & te nos colimus, semperque colemus
Chara Deûm soboles, magnum Iouis incrementum.

Silentium ad tempus.

LACHRYMÆ.

Ad Ioannem Vuddum,

Carmen παρεγχρατικὸν.

VUdde, quid est? reliquis cantãtibus ordine Musis,
Calliope, veluti ex statuis ingentibus vna,
Et tanquam exanimis steterat, non mobilis illuc,
Non huc, fixa solo vultum, mirabile dictu
Vt terram aspiciat, contempleturque iacentem,
Nec caput, aut oculos, frontemue, aut pectora tollens.
Num reuocabo Deam ad munus, pensumque paratum,
Illius & lachrymas lachrymis, gemitumque gemendo
Eliciam, blandisque iterum appellabo querelis?
Non faciam, fortasse animo mysteria voluit
Arcana, & sanctis mens est obstricta catenis:
Aut aliquid latet: aut non vult ex tempore tantum
Concelebrare virum: iuuat exspectare parumper
Quid factura siet, quorsumque silentia spectent
Tanta, nec alternis vicibus sua carmina fundat.
Immo vide, vt dextram attollat, tandemque profari
Incipiat: tu Vudde aures, tu porrige mentem.
Forte aliquid magni taciturna silentia Diuæ
Parturient: animus certè miracula spondet:
Nec verò frustrà tanto est suffusa rubore.

Canticum. VII. quod est instar octo reliquorum: quodque integram totius ferè vitæ Historiam, non ita multis versibus expressam, complectitur.

CALLIOPE.

AT tonitam cur me Facundia deseris? aut quò
Suada fugis? non te Pallas, num Phœbus Apollo
Auocat? aut vestrum auxilium Cyllenia proles,
Interpres Iouis implorat? Peitho aurea, Peitho
Chara redi: auersos tende huc Facundia gressus.
Non, Ingrata redis? dicam tamen improba, quicquid
Venerit in buccam, vel refragante Süada.
Sit licet elinguis summus dolor, atque stupore
Grande malum cogat multos, linguisque Catenas
Iniciat, sic, vt nequeant attollere vocem:
Ast ego, quæ soleo Magnatum Heroica facta
Consignare libris, & iustas prodere laudes;
Excutiam vincla illa, & muta silentia rumpam,
Te, tuasque canam virtutes, inclyte Smithe.
Virtutes, quas læto olim Cantabria vultu
Spectabat, venerabatur, laudabat, amabat,
Id nihil est, mirata semel, sine fine stupebat.
Palladis in gremio, venerandæ virginis almis
Uberibus pastum iurares, lacteque quodam
Cœlesti, ambrosiaque Deorum, & nectare Hymetti
Nutritum, sic melle fluebant Attica verba:

Vnius

Vniius eloquio ſic iam Reginea tecta
Florebant, quaſi quæ vellent Smithea vocari:
Sic reliquos inter ſocios caput extulit vnus.
Nil erat incomptum: Deus illi, atque aſtra fauebant,
Jnque oculis hominum mirandum, inque auribus illum
Reddiderant Charites, generoſæque indolis omnes
Diſcipulos illi addiderant: pendebat ab ore
Vnius priuata domus, ſchola publica, docti,
Jndocti, ſchola tota virum, ſchola tota puellum.
Credo equidem, Phœbus niſi Pythius ante fuiſſet,
Jlle foret Phœbus, iam Pythius ille fuiſſet.
Non Checus *erubuit doctorem audire legentem.*
Non Redmannus *eum: ſed nec* Burgleius *Heros,*
Nec ſenior Coxus; *nec ſi quis maior vtroque*
Tunc aliquando aderat: fuit illi Haddonus *alumnus,*
Admirans tanti cœleſtia dona Magiſtri,
Quis primus Rhetor? Smithus. Quis maximus Hermes
Linguarum? Smithus. Geometres? Smithus & idem.
Summus Arithmeticus? Smithus. Legumque peritus
Ante alios? Smithus. Phyſicus celeberrimus? Ohe
Smithus multiſcius. Morum, vitæque Magiſter
Optimus? & Smithus. ſic Smithus & vnus, & omni
Laude reſplendeſcens ſecum abſtulit omnia, pollens
Diuino ingenio, &, (ſi verum dicere fas eſt)
Mortalis Deus, aut Diuis quàm proximus ipſis.
Namque ſuus Gualterus eum ſic extulit olim.

I. Collegii Reginei Socius.

II. Regius vtriuſque linguę philoſophiæ & Iuriſprudentiæ Profeſſor.

Exſtat G. Haddoni elegantiſſima Oratio in laudem Th. Smithi concinnata, & eadem fere Symploce inſignita.

Quid reliquos memorem, Smitheæ laudis alumnos?
Aſchamus, & Carrus, Tonguſqúe, & Billus, & *omnes*
Diuinæ mentes, (neque enim Goulduellius *iſto*
Prætereundus erat, ſed nec Vatſonus *in albo,*
Quin etiam primos inter, clariſſime Vilſo,
Commemorandus eras) aſtabant illius aris,
Sacraqúe ſoluebant multùm illi debita vota.
Fœlix, qui potuit Smitho auſcultare loquenti;
Siue illi Græcè dicendum, ſiue Latinè.
Tu memorare potes, doctiſſime Perna, *quibus tum*
Floruerit ſtudijs, quo ſit cumulatus honore.
Cuncta Labor dederat: Labor improbus omnia vicit.
Rex erat in roſtris: regnantem in ſedibus illis
III. Henrici Octaui Alumnus. *Auocat* Henricus, *propriamqúe inuitat ad Aulam.*
Regius *hinc dictus regali nomine Alumnus*
Sumptibus Octaui mare traycit, extera regna,
Et mores hominum variorum ſpectat, & vrbes,
Informatqúe animum exemplis, & multa volutat
Facta virûm, notat atque artes, & dicta reportat,
Defigitqúe imis penetralibus egregias res.
Scrutatur celebres ritus, vetereſqúe, nouaſqúe
Explorat leges; venerandaqúe iuſſa Senatus,
Et Regum placita exquirit; plebiſqúe tumultus,
Ac populi ſtudia; & Regnorum iura vetuſta
Diſcutit: ac vario multas idiomate linguas
Ediſcit, proprioqúe omnes ſermone laceſſit.

Germa-

Germanos inter Germanus; Francicus inter
Franciadas; Italos inter natiuus Hetruscus
Esse videbatur: sic omnia calluit ista.
Atque ita cordatus iuuenis, prudentis Vlissi,
Pythagoræque grauis quasi primos inchoat actus:
Quæ sibi, quæ patriæ prodessent, cuncta secutus,
Haud vllam omittens augendi nominis ansam.
Post rediens (sic Rex illum ter magnus amabat)
Qui fuit æquales inter Academicus ante,
Atque ibi nascentis iecit fundamina laudis,
Inter honoratos Proceres nunc Aulicus esse
Incipit, atque alter (nisi me mea forte fefellit
Vranie) charo si Rex supereesset alumno,
Cromellus *foret; & Regni, regalis alumnus*
Cum paucis animo, ac sophia præstantibus omni,
Principis, ac populi ex voto, tractaret habenas,
Octauoque esset, quod magno Nestor Atridæ.
Verùm ita dispositis astrorum numine fatis,
Astraque ad interitum Regis flectente Iehoua,
Octauus, quamuis ter maximus Europæos
Magnates inter, crudelibus occubat vmbris.
Ac iam magnanimo patri succedit, Olympo
Lapsus Edouardus, verè Iunonia proles.
Sed proles tamen, & nimium tam grandibus ausis,
(Exitus id testetur atrox) ætate tenella.
Inde Somersetum penes est moderatio regni:

Ille

Ille tenet clauum imperij, nauemque gubernat
Angliadum, Protectoris *cognomine clarus,*
Arbitrioque suo Regalia sceptra coercens.
Huic in delitijs doctique, pyque fuêre,
In primisque illi, quos Anglia tota vocabat
Signiferos: inter quos quatuor eminuérunt:
Tres modo defuncti, Smithus, Cocusque, Checusque;
Vnus Cæcilius *superest, longumque supersit.*
Fortunati omnes, si quos Fortuna beare
Ipsa potest: aut si ipsa siet Fortuna beata.
IV. Somerseto à Supplicum libellis. *Verùm inter reliquos Smithus pollebat, eique*
Sic in amore fuit, mox vt communia vota,
Supplicium exciperet, fieretque Magister eorum:
Ac Protectori quasi Consiliarius esset
Assiduus, studiosque eius, rebusque præesset,
VV Ætonienſis Collegij præſes: barbaro illo quidem, ſed tamen ſatis iam honorifico nomine PROVOSTVS vſurpatus. *Quin etiam Ætoniæ (locus est, munusque præamplum)*
Præficitur, cathedramque capit maioris honoris.
Prudenterque scholam moderans, leniique scholarchas
Imperio cohibens, & alumnos ordine iusto,
Discipulosque omnes frænans, Ratione Magistra,
Legibus aßéclis, præclarè pensa tuetur.
Quædam etiam noua procurat (res digna relatu)
Commoda: quis nescit quæ frumentaria lucra
Posteritati omni, solertis acumine mentis
Addiderit? multis prodest annona leuata:
Nec studiorum rebus magis vtile quicquam

Inuentum

Jnuentum est aliquando, nec inuenietur acerbis.
O frugalem hominem: sed laus ea parua: supersunt
Jnsignita magis præconia: Regulus illum,
Jllum Protector tanto comprendit amore,
(Sic vtrique fuit probitas, solertia, virtus,
Cura, fides, grauitas, prudentia, vita probata)
Protinus vt iussu amborum, Legatus, Eques sque
Aureus, & Regis quoque Secretarius, illi
Jntimus, eximijs floreret honoribus, Aulæ
Tam charus, quàm qui multùm charissimus esset:
Surriperetque togam tibi Quintiliane rubentem.
Jnde Honor, *auratis vectus, rapidisque quadrigis,*
Jngrediensque Aulam, vario fulgore nitentem,
Multa ibi miratus, cunctosque ex ordine cernens
Heroas, multosque probans, multosque coronans,
Smithum inter primos Proceres, regnique magistros
Principis ad nutum, mandataque iusta locauit,
Purpureumque patrem venerando reddidit ore.
SED NIHIL ex omni fuit vnquam parte beatum:
Protector, *Regis viuentis Auunculus, illo*
Valde etiam inuito (nimium mirabile dictu,
Fata sed hoc posuêre Duci illætabile fatum)
Propter nescio quod facinus, stomachante patratum
Mercurio, tonitruque manu quatiente sinistra
Patre Deûm; capite est multis spectantibus, atque
Frendenti populo truncatus: & illico Smithus

VI. Legatus. Eques auratus. Regius Secretarius.

Compreńſus, velut eiuſdem malè conſcius auſis,
Conceptiq́ue reus delicti, perq́ue duellis.
Euaſit tamen, ac laqueis ſeſe exuit illis,
Charus adhuc Regi, (neque enim iam charior almo
Vllus erat Regi): ſed Regem ſydera terris
Oſtendunt modò (ſic Superi voluêre) nec vltra
Eſſe ſinunt: morbo tabeſcens aurea proles
(Pulmonem abſumptum Medici dixêre: quid ad nos?)
Sceptra alij; diadema alij; Regalia tradit
Arma alij: quodq́ue ante animo, precibuſq́ue ſituit
Aſſiduis, Regnum petit omnipatentis Olympi.
Tempora mutantur: Non omnibus *vna voluptas,*
Non mens: Surſum *alij aſcendunt, aliiq́ue deorſum*
Præcipitantur: & Hi pereunt, *florentibus illis.*
Roma reuiuiſcit, ſceptrum geſtante Maria:
Pontifices redeunt: redeunt Papalia regna;
Iura ſacerdotum, ritus, ſacra priſca, latinæ,
Catholicæq́ue preces: quicquid fuit ante fugatum,
Arridet magis, atque magis: placet hoſpita pompa:
Externo ſq́ue inter cultus, Peregrinus amator
Pontificum ſuaſu Regina vxore potitur:
Imperitatq́ue Anglis nimium generoſus Iberus.
Hiſpani exſultant: de Caſtro Alphonſus Ibero
Brutiadum imponit caſtris Hiſpanica valla.
Furtiuas oſtentat opes, plumaſq́ue Britannas
Huc, illuc volitans oſtrina veſte Diego.

In

In precio Polus est: dominatur callida Vulpes:
Mulciber imperio potitur: (nam Mulciber alter
Igniuomus Bonerus erat:) cuncta occupat Ignis:
Solum Elementum Ignis, sceptrum gestante Maria.
Quæ tamen hunc passa est (tantum Incus, *credo, valebat*
Igne refulgescens) iactatum fluctibus Aulæ,
Igne etiam satis, ac flammis, facibusque probatum,
Vitam inter proprios placidè ductare Penates:
Quique alios rabido laniauit dente Fideles,
Subdolus Antistes Stephanus, cognomine Vulpes,
Vnius ingenio, literis, grauitate virili
Sic perculsus erat, mentisque heroica sensa
Sic venerabatur, non solùm vt perceret illi,
Sed magnum præ se Veterator ferret amorem.
Et solum hæreticos inter, vitaque, locoque
Dignum aliquo, propter summum iuraret acumen.
Nec Bonnerus, eum non admiratus, amici
Vultum hominis, tantas inter simulauerat iras.
Atticus haud paribus studijs retinebat amantes,
Dum simul aduersis miro candore placeret
Partibus, & pariter Pompeio, ac Cæsari amicus,
Iulio, & Antonio pariter gratissimus esset:
Dum vinclis Cicerona sibi religaret eisdem,
Juratum Antonij, tumidaque tyrannidis hostem.
Nec tamen interea parti assentarier vlli,
Nec simulare fidem, nec dissimulare solebat.

Comprenſus, velut eiuſdem malè conſcius auſis,
Conceptiqúe reus delicti, perqúe duellis.
Euaſit tamen, ac laqueis ſeſe exuit illis,
Charus adhuc Regi, (neque enim iam charior almo
Vllus erat Regi): ſed Regem ſydera terris
Oſtendunt modò (ſic Superi voluêre) nec vltra
Eſſe ſinunt: morbo tabeſcens aurea proles
(Pulmonem abſumptum Medici dixêre: quid ad nos?)
Sceptra alij; diadema alij; Regalia tradit
Arma alij: quodqúe ante animo, precibuſqúe ſitiuit
Aſſiduis, Regnum petit omnipatentis Olympi.
Tempora mutantur: Non omnibus *vna voluptas,*
Non mens: Surſum *alij aſcendunt, aliqúe deorſum*
Præcipitantur: & Hi pereunt, *florentibus illis.*
Roma reuiuiſcit, ſceptrum geſtante Maria:
Pontifices redeunt: redeunt Papalia regna;
Iura ſacerdotum, ritus, ſacra priſca, latinæ,
Catholicæqúe preces: quicquid fuit ante fugatum,
Arridet magis, atque magis: placet hoſpita pompa:
Externoſqúe inter cultus, Peregrinus amator
Pontificum ſuaſu Regina vxore potitur:
Imperitatqúe Anglis nimium generoſus Iberus.
Hiſpani exſultant: de Caſtro Alphonſus Ibero
Brutiadum imponit caſtris Hiſpanica valla.
Furtiuas oſtentat opes, plumaſqúe Britannas
Huc, illuc volitans oſtrina veſte Diego.

In precio Polus est: dominatur callida Vulpes:
Mulciber imperio potitur: (nam Mulciber alter
Igniuomus Bonerus erat:) cuncta occupat Ignis:
Solum Elementum Ignis, sceptrum gestante Maria.
Quæ tamen hunc passa est (tantum Incus, *credo, valebat*
Igne refulgescens) iactatum fluctibus Aulæ,
Igne etiam satis, ac flammis, facibusque probatum,
Vitam inter proprios placidè ductare Penates:
Quique alios rabido laniauit dente Fideles,
Subdolus Antistes Stephanus, cognomine Vulpes,
Vnius ingenio, literis, grauitate virili
Sic perculsus erat, mentisque heroica sensa
Sic venerabatur, non solùm vt perceret illi,
Sed magnum præ se Veterator ferret amorem.
Et solum hæreticos inter, vitaque, locoque
Dignum aliquo, propter summum iuraret acumen.
Nec Bonnerus, eum non admiratus, amici
Vultum hominis, tantas inter simulauerat iras.
Atticus haud paribus studijs retinebat amantes,
Dum simul aduersis miro candore placeret
Partibus, & pariter Pompeio, ac Cæsari amicus,
Iulio, & Antonio pariter gratissimus esset:
Dum vinclis Cicerona sibi religaret eisdem,
Juratum Antonij, tumidæque tyrannidis hostem.
Nec tamen interea parti assentarier vlli,
Nec simulare fidem, nec dissimulare solebat.

Mirifica virtute omnes, grauitate colenda,
Moribus antiquis, Charitum, Aönidumque fauore,
Numine cœlesti; non impietate, nec arte
Illicita, nec perfidia, neque fraudibus vllis;
Vir bonus, & sapiens; qualem vix repperit altrum
Phœbus Apollo vsquam; sibi conciliabat amicos.
Annus erat quintus, cùm ex alto Iuppiter Anglos
Aspiciens, stragesque hominum, flammasque bonorum
Intuitus, Superùm summis è sedibus, istinc
Mitteret augustis virtutibus, atque decore
Angelico tinctam diuinitus, ELISABETAM
Principem; ad optatam regni, patriæque salutem.
Illa inter primos habuit, quos inclytus ille
Octauus *pater, æternùm memorabilis Heros;*
Optimus & frater, nulli pietate secundus
In primis habuit: r unc Smithus, *honoribus auctus*
Egregijs: nunc Coce *viges:* Mildmaie *triumphas:*
Coxe *vales: renouas annos* Haddone *cupitos*
Cum Vilsone *tuo: respondent tempora votis*
Hennagique *tuis: opibus, famaque secunda*
Magni etiam custos Baco *venerande* Sigilli
Præcellis: claretque inter celeberrimus omnes
Cæcilius, *tandem factus Burgleius Heros.*

VII. Honorificentissima Legatio ad longi tempus.

At Smithus, quo vix alius præstantior, Aulam
Reginæ ad tempus linquens, atque extera regna
Perbene cognoscens; Gallas legatur in oras,

Ingre-

Ingrediturque Aulam Francorum Regis, ibique
Miles honoratus viuit, Nestorque secundus,
Atque alter Regum meruit vocitarier Hermes.
Illum ibi purpurei Patres, atque Aulica turba
Mirandis coluêre modis, Procereſque potentes
Ædibus excepêre ſuis: non gratior vllus,
Non mage charus erat: certatim adiêre diſerti,
Doctiloquique omnes; in primis Aureus ille
Ramus, *Franciadum Smithus, ſummuſque Profeſſor*
Artium, & hiſtoricus Ludouicus Regius, *& qui*
Aſtronomos inter, Medicoſque & iura vigebant.
Nemo eius non diuinum captauit amorem.
It, redit: inde annos aliquot poſt, Eliſabetæ VIII. Regius Secretarius.
Eſſe à Secretis cœpit, vitamque propagat
Aulicam, & eximijs virtutibus vndique ſeptus
Juſtitiam, ritus patrios, oracula Legum,
Sacra Dei præſcripta colit; non fraude, doloue,
Non vllo victus ſuco; patriæque, ſuiſque,
Reginæque ſuæ fidus; non perfidus vlli,
Perfidus cunctis; Cato vita, moribus, ore,
Sincerus ſine fraude, bonus ſine ſuſpicione,
Et leuitate vacans, & ſit grauitate ſeuerus,
Vt tamen atque iocos admitteret, atque lepores
Innocuos; nihilumque prius ſibi duceret æquo,
Atque bono, cui ſe, ſuaque omnia vota ſacrauit.
Nullorum ignarus ſcelerum, ſeu prodita ſcriptis,

Seu factis patrata essent, neque conscius ipse
Vllorum tamen: aut quas Aulica vita ferebat,
Et veteres Græci docuêre; Italique recentes,
Franciadesque noui, ancipiti coluêre tumultu,
Technarum structor; non vllius artis amicus,
Quæ virtuti esset, studijsque inimica probatis.
Sic rectum amplexus generosa mente, nefandas
Pragmaticorum artes, inuentaque praua refugit.
Testis honoratus (sed quorsum ego nomino testem?)
Valsingamus *erat, virtute, animoque, locoque*
Proximus huic, socius tantorum insignis honorum,
Qui vigilanti oculo Smithi obseruasset acumen,
Sensissetque acres sensus, animumque virilem,
Consiliumque graue, & pectus, moresque colendos.
Virtutes etiam raras, doteque stupendas,
Illustri in primis memorandæ Principis Aula,
Et Regni dignas sapientipotente Senatu
Sæpe expertus, eas iterumque, iterumque probasset.
Quid, quòd in hoc tanto strepitu prænobilis Aulæ,
Vndique magnarum rerum quasi pondere onustus,
Ædificansque domum excelsam, sumptu, arte, labore
Ingenti, voluensque alias in pectore curas;
Musarum tamen interea persæpe recordans
De me, de vobis, de Regni vtroque Lycæo
Magnificè in primis meruit: cunctisque ligatos
Officijs, sibi Britannos obstrinxit alumnos?

Nam-

Namque quod Ætoniæ priùs impetrauerat vni
Prouidus Oeconomus; iam nunc vtrique Lycæo,
Cantabriæ, Oxoniæque opera procurat amica:
Vt leuiori illis frumenta domestica sumptu
Suppeterent: certo precio dum quisque colonus,
In dominorum vsum, studiosorumque leuamen,
Suppeditare aliquas fruges astringitur, atque
Partem vnam impositi sic pendere vectigalis.
O statua dignum inuentum, Phrygiaque columna.
Adde, quòd in mentem Reginea tecta subinde
Venerunt: quasi quæ vellent Smithea vocari.
Non satis est commune bonum: priuata volutat
Commoda: discipulos, veluti sua pignora, plures
Instituit: geminos doctores addit, & altri
Mandat Arithmeticam; Geometrica destinat altri.
Perpetuos illis reditus, vectigal honestum
Impertit, Ramique sui vestigia figens
Semianimem fouet egregia pietate Matheſim.
Multa ego sum paucis complexa, nec omnia possum
Ad viuum resecare: libros, monumentaque mille,
Græca, Latina omnis generis, noua, prisca, prophana,
Relligiosa dedit, dedit omnem bibliothecam
Italicos præter quosdam, Francosque libellos,
Elisabeteæ pius Heros bibliothecæ,
Bibliothecæ, ipsis aptæ, me Iudice, Athenis.
O bonitas: ô prisca fides: legauit & vnâ

IX. Publica in vtramque Academiam promerita.

X. Priuata in Collegium Regineum promerita.

Artifici fabricata manu, doctoque labore,
Instrumenta aliquot Geometrica, digna Platonis
Musæo, ingentemque globum, mira arte politum.
Quale Syracusius Spherarum Inuentor, ocellis
Cernere opus fixis si posset, illico lætus
Inueni, Inueni, *voce exclamasset anhela,*
Ac Regum spoliis solum antetulisset opimis.
Cætera quis nescit? neque enim popularibus Anglis
Ignotum est Epulum, *Smitheo nomine, iisdem*
Ædibus, instructum solenni more quotannis.
Prætereo literas, præceptaque Apollinis ore,
Non lingua dictata hominis; nisi forsan Apollo
In lingua latitans, veneranda orâcla canebat.
Vt leuibus positis, operam grauioribus omnem
Nauarent studijs: Tricis, Apiniisque relictis,
Romulea cum gente bonas sequerentur Athenas:
Corpora, neglectis vmbris, larui sque fugatis,
Vera; abecedarijs procul hinc, procul inde remotis,
Exempla amplexi Geometrica; somnia nauci
Vaniloquorum hominum facerent: Rationeque sola,
Non aliqua nixi secta, Verum, Vtile, Honestum
Spectarent: nihili commenta sophistica, viles
Quisquilias; solidam Logicam, Dialectica iura
Permagni facerent: Euclidis scripta diurnis,
Nocturnis manibus versarent: cætera nullo
In precio Nugatorum figmenta putarent.

Talia

Talia vt omittam, non illa indigna relatu,
(Credo, eadem Smitho reſeraſſe oracula Phœbum)
Vt tamen omittam: nunquis Reginea tecta,
Cætera qui nôrit, neget hinc Smithea vocari
Debere, ac tanti Herois ſplendeſcere fama?
Sit paruum, ditaſſe nouis vtrumque Lycæum
Subſidys: flocci fiant Reginea dona:
Mendicæ valeant Muſæ: ſpernatur Apollo.
Ecquis eo patriæ ſtudioſior eſſe ſalutis
Fertur? an in regnum quiſquam indulgentior? an quis
Eliſabetæi ſeruus mage fidus Honoris?
Sol mihi teſtis adeſt; Luna eſt mihi teſtis, eandem
Incudem tutudiſſe dies, nocteſque: nec vlla
Extingui potuiſſe ignes caligine tantos.
Hoc pacto affectum, & curis regalibus omni
Intentum ſtudio (dolet heu meminiſſe doloris)
Neſcio quis ſubitò morbus ſic occupat artus,
Vt quæ olim mellita diu iam verba ſolebat
Fundere, vix aliquam poſſet tranſmittere vocem:
Gutturis aſt imis latitans radicibus, intus
Hæreret, nullumque ſonum lingua ederet illo,
Quo ſolita eſt ſplendore, decus, laudemque merente.
Iamque onus extiterat lecti, Medicæque cohortis
Præda, ſuæque domus, & Coniugis anxia cura.
Quid morbum accuſem? Medicam cur deprecer artem?
Sic Deus omnipotens voluit: ſic Fata tulerunt

Abdita: Naturæ ſtultum eſt indicere bellum.
Graſſatur morbus: vix vlla in pixide ſpes eſt,
Eſt metus, atque ingens horror circunſtat amantes.
Quid moror? in tumulo non vlla redemptio: Smithe,
Smithe vale: nos in tumulo, ſi forte latebunt,
Virtutes, arteſque tuo, Chariteſque decentes,
Aſtræamque ipſam quæremus, ibique ſepultas
Effodiemus opes animi, puraſque latebras
Ingenij, mentiſque aurum, gazaſque perennes.
Hoc tantum ſupereſt: quod ſi nihil eſſe videtur,
Cuncta abiens Smithus ſecum abſtulit: ah ego quantas
Amici dotes? niſi forte in funere triſtes
Deliteant: quas nunc repetitum denique vadam,
Vel deſiderio viſendi capta ſepulchri.
Vellem equidem tumulato illo, tumularier vnâ,
Et quanquam id fruſtra, iuuat exoptare ſepulchrum.
O ego quam primùm moriar, vel tu mea vita
Smithe reuiuiſcas; illoſque imitare vetuſtos,
Quos Orcum referunt ſuperaſſe, & ſæcula multa.
Inde propagaſſe in terris, validoſque fuiſſe
Heroas, rebus geſtis, opibuſque potentes.
Aut ſi id non fas eſt, ſaltem deſcendat Olympo
Spiritus ille tuus, menſque illa excelſa, diurnis,
Nocturniſque aſſueta laboribus, omnia grandi
Conatu penetrans, ac laudes vndique carpens.
Is Villo *eſt fortaſſe, alius mihi Smithus, & alter,*

Extincto

Extincto Smitho, diuinæ Palladis hæres.
Quo viuo, rediuiuus erit tuus, inclyte Smithe,
Spiritus ille altus, geniusque ad summa creatus:
Iuridicis, credo, proprius, Thomisque duobus.
Túne etiam lætho occumbes, charissime Vilso,
Virtutesque iterum tumula condentur opaco?
Credo equidem. Nam si primus iam Smithus obiui
Credibile est simili periturum morte secundum.
Sic nihil *est mortale diu. Sed vado sepulchrum*
Ornatura hymnis, visuraque nobile funus:
Quæque ibi sunt dotes nostras, & munera diuûm,
Æthereasque artes repetitum nomine Thomæ
Vilsonis, noster cui plurima debet Apollo.
Sistite vos, reditumque meum exspectate sorores.
Si quis Homerus erit, si quis Maro, carmina vobis
Ipsa feram: non iam, credo, dormitat Homerus.
Noui ego Virgilium: satis est; habet ille canendum
Insignem pietate virum: *Nunc incipe fari*
Vranie: volucremque mihi nunc Pegase cursum
Confice: quàm vellem montem spectare prealtum,
Quem sibi, tanquã alium Parnassum, aliũque Heliconem,
Arte Mathematica struxit Valdinius Heros.

Canticum. VIII.

VRANIE.

Gaudo ego Calliopen: quæ, cùm ipſa retexere laudes
Smithi, cum reliquis deberem, hoc faſce leuauit
Non ita dicendo promptam, multiſque Camænis
Suppleuit, quodcunque meus depoſceret vſus.
Ergóne ipſa mihi recinendo ſilentia muta
Impoſuit? vidine vnquam te Calliopæa
Excludentem alias longo ſermone Sorores?
Quin potiùs præis exemplo, noſtrumque figuras
Officium, taciteque incuſas ſegnitiei.
Dum paucis decoramus eum, quaſi prætereuntes,
Quem non vlla ſatis potuit celebrare Camæna.
Mille opus eſt linguis, & in ipſis mille Süadis,
Et plus quàm centum Muſis, totidemque Mineruis,
Mercuriûmque choris aliquot, Phœbûmque phalange:
Debita ſi memorare volens encomia Smithi,
Illius ingentes ſatagas percurrere dotes,
Quo nihil aſpexit diuinius auricomus Sol.
Tu Deus omnipotens, noſti quibus artibus illum
Deſuper imbueris: teſtantur ſydera Cæli,
Illius vt ſenſus, corpuſque, ac membra cierent
Ad decus, vt pectus diuinis ignibus ardens
Huc, illuc rapidis agitarent curſibus, omni
Laude flagrans, magnoque accenſum cœlitus æſtu.
Vos æterni Ignes, quorum mea lumina motus,

Et

Et volucres cursus, vireſque, effectaque mira,
Virtuteſque amplas, nullo laſſata labore,
Obſeruant, reliquis ſomno indulgentibus, acri
Intuitu, quorumque omnes diſquiro meatus;
(Fecit idem Smithus) tantum diuinitùs illi
Mandato Iouis excelſi, cumulaſtis honoris:
Dum veſtro inſtinctu, quo non vehementior vllus,
Flammatum æthereis facibus, doctique Promethei
Igne repurgatum ſupero, per ſumma tuliſtis
Omnia, & in Decoris ſolio, laudiſque theatro
Regum in conſpectu, Reginarumque locaſtis.
Non alios teſtor: ſatis eſt dixiſſe Planetas
Aſtronomus quantus fuerit, quantuſque magiſter
Ingeny, quantuſque pater, quantuſque patronus
Hiſtoriæ, doctrinarum, virtutis; & vnde
Tantum ſplendoris Muſarum numine adeptus,
Hiſpanis fuerit, Galliſque, Italiſque, aliſque
Gentibus egregiè notus, celebriſque per orbem.
Aut ſi illos dixiſſe parum eſt, Polus ipſe loquatur,
Fulmina torta ſonent, quibus illum Iuppiter olim
Viribus armarit; queis Suada coloribus illum
Tinxerit à teneris; quo ſe ſuper aſtra decore
Mortuus extulerit: de cœlo Stentor, & Hermes
Clament, exclament, quo cœlum, ac ſydera niſu
Scrutatus fuerit; quibus illum aut ignibus orbes
Ætherei; quibus ipſe hominum pater, atque Deûm Rex

190.

Tum collustrarit, cùm solus Smithus in ore
Vulgi esset, soluſque hominum quasi fabula quædam.
Nam quem tandem alium digito monstrare solebant,
Sæpiùs aientes crebris sermonibus, Hic est?
Credo ego, vix simile ingenium cælestia signa
Vidisse, aut quam nos hominum, rerumque Parentem
Dicimus, æquali quenquam ostentasse triumpho.
Sic mihi perplacuit, quod dictum est sæpiùs, Hic est.
Sic vobis placuisse velim, quicunque poëtas
Voluitis Astrologos; quibus est Mizaldus in ore;
Antiquusque magis, multiſque probatior illo
Manilius; quique astriloqui versatis Arati
Phænomena; in Latium hexametris traducta Camænis
Vate ab eo, cuius cedebat laurea linguæ,
Arma togæ: & nostrum linguis, manibusque Maronem,
Finitimumque illi Pontanum, alioſque recentes
Astronomos, præterque alios Copernicum acutum,
Præconemque eius Ioachimum Rheticum, amicè
Tractare assueti, sublimia signa notatis,
Atque oculos sursum in stellis defigitis altis.
Nam vos aut nemo, vel si quis amauerat, Hic est:
Nec meliùs Natura fuit spectata cuiquam:
Nec polus, aut tellus magis vlli cognita vati.
Quorsum ego dissimulem? fuit vnus, & vnicus ille
Filius Vraniæ; Ptolemæo maior vtroque,
Et centum Alphonsis, & pluſquam mille Zacutis.

Hippar-

Hipparchum, Proclum, Albertum, Ritiumque, Leuique
In spurijs numero: fuit hæres vnicus, omnes
Anteiens Persas, Chaldæos, Gymnosophistas,
Romulidas, Graios, Arabes, Smitheius Heros.
Solius mihi sanus erit sexcenta sepulchra.

Canticum. IX.

POLYMNEIA, Musarum vltima.

Verborum satis est: gestus, motusque loquatur,
Annuat & vultus, digitique ex ordine, iusto
Munere fungantur: singultuque omnia plena.
Et lachrymis, planctuque sient: suspiria Cœlum,
Significrumque orbem penetrent: Caput aurea dicter
Carmina; seu potius, quod Pictor nobilis olim
Fecerat, & post hunc multi tenuere magistri,
Obuoluatur ita, vt luctum superare colores,
Non vllo gestu exprimier, nun arte gementis,
Non motu Æsopi, non si nunc Roscius esset
In medio, astantes credant potuisse referri.
Mœreat hic Calchas, fletu imtabescat Vlisses,
Et plora Menelaë imbres, rapidasque procellas.
Victima dira oculis lachrymas, animoque dolorem.
Ingentem instigat: par est cruciarier omnes.
Reginamque ipsam in primis, Procereſque potentes,
Quos senior patrio complectebatur amore.

Cæcilius.

Cæcilius Calchantis, Vlissis Dudlius Heros,
Et partes Menelai agat Augustissima Princeps.
Ægrè quisque ferat tantum sibi lumen ademptum.
Ast Agamemnonius vultus, caput, ora, manusque
Jn planctus, oculi in pluuias abiére fluentes.
Sic ego, non luctus socia, angorumque ministra,
(Conuenit id reliquis) verùm exanimata querelis,
Protinus in riuos liquefacta, madescere sensim
Debeo, & in quoddam pelagus mutarier vndæ.
Subita μεταμόρφωσις. *Sed quid lingua fluit? fons est, non Lingua: quid hoc est?*
Lumina quæ fuerant, iam flumina suspicor esse.
Smithe, tuum tumulum lachrymis, pluuiisque rigare
Me nunc Fata volunt: testabitur Vnda, redundans
Jngenium, flumen verborum, Flumen aquarum;
Æquoreosque Ithaci; quos tu tam sæpe virili
Sustinuisti animo; Lachrymarum copia fluctus.
Haud opus est alio nostris Emblemate natis.
Aut si opus est, aliæ modò suppleuére Sorores,
Neptunusque mihi; Nunc desine garrula; clamat.
Quam vellem exordiri iterum: sed sæpiùs ille,
Sæpe omnes Nymphæ; Nunc desine garrula; clamant.
Parendum est: tu Terra iaces, amplissime Smithe,
Lympha ego sum: sed erit tua iam iam cælicus Ignis,
Mens mea (vox abiit) circumuolitabilis Aër.

Ad

Ad Ioannem Vuddum.

HÆc vbi dicta, omnes pariter squallore repletæ
Lucum nescio quem, sed quem non viderat ante
Mortalis cuiusquam oculus, quasi numine earũ
Extemplo factum repetunt, sedemque capessit
Quæque suam, reditumque exspectat quæque sororis.
Ipse autem grates, reuerendaque verba reponens,
Diuinoque meos cultu complexus amores
Ad chartas redeo: sed amâbo, Vudde diserte,
Quis tibi nunc animus, quæ mens, sententia, vultus?
An lachrymæ lachrymis cumulantur, & omnia fletu
Complentur: veluti præsens si Tantalis esset?
At melius Smitho est (magnarum pace Dearum,
Quæ frustra lachrymant) Heroes inter agenti,
Cum diuisque ipsis ductanti cœlitùs æuum.
Quò sua se virtus, quò mens præcelsa vocabat.
Nos homuli in terra vitam, generose, misellam
Formicarum instar traducimus; ille beatus
Conscriptos inter Patres, cœlique Quirites
Æthere Diuino fruitur, pastuque Deorum,
Nectare, & ambrosia saturatus, gaudia nullo
Interitura æuo super ipsum mobile primum
Carpit, & aurato lætus, pede calcat Olympum.
Ex alto technas hominum, fraudesque, doloque
Multiplices, varioque astus, varioque tumultus;

Perfidiasque horum, periuriaque alta, sacratis
Obsignata notis; illorum occultaque stupra,
Incestusque vagos, furtiuaque gaudia noctis;
Et cædes clam patratas, aconitaque dira,
Nuper & inuentis spirantia tecta venenis
Dispiciens, populûmque iras, fastusque tyrannûm,
Insandasque artes, & mille piacula ridens.
Hæc mihi nescio quis lachrymanti, Spiritus ore
Dictauit placido; visus consistere paulùm,
Atque oculos spectare meos: ego denique flere
More fluentis aquæ pergo, lachrymasque fouere.
Spiritus ast idem maiori numine; Quid vis
Stulte, inquit, nocuisse tibi? non ille tuarum
Ærumnarum vllo sensu, non tangitur æstu.
Frustra conquereris: decet hæc, grauioraque ferre,
Si grauiora tibi imponant cœlestia Fata,
Aut grauiora vlli possint imponere Fata.
Mentibus æternis Smithus sociatus, amœna
Sæcula producet, nullis concluſa diebus:
Clarebitque magis generosæ gloria mentis.
Pergin' adhuc flere? at Smithus super astra triumphat,
Semideûmque forum amplificans, Diûumque Senatum:
In Crucifixi oculis, oculos defixus, & almam
Amplexus Triadem, geminis ardentiùs vlnis;
Contemplans simulachra, oculis incognita nostris,
Nec manibus tractata hominum, noua gaudia voluens;

Syderea

Sydereæ æternum nactus diadema cohortis,
Chryſtiadumque ſacris redimitus fronte Corollis.
Tu quereris Superos tanto donaſſe trophæo
Municipem, affinemque tuum? iam deſine fletum,
Deſine fœmineis oculos maculare querelis:
Haud decet humanos muliebris lachryma vultus.
Hæc vbi dicta, genæ paulatim attollere ſeſe,
Siccariqúe iterum, atque animus noua gaudia mente
Concipere, vt quando poſita formidine cæpit
Spe releuari aliqua, ſenſumque agitare recentem.
Nulla mora eſt: Charites ſubitò diuinitus aſtant,
Et ſecum hos cantare iubent ex tempore verſus.

Charitum Hymnus.

EI mortale animal, fragili compage cohærens,
Parcarum fauces, lætbiqúe euadere morſus
Poſſet, & in terra ſemper florere beatum:
Smithus erat dignus (quis enim iam neſciat, ille
Quàm dignus fuerit?) qui diuûm munere, talem
Degeret ætatem, nunquamque has linqueret oras.
Omnia ſed Natura parens (nam ſæpiùs iſta
*Auribus inculcanda hominum, vulgoque, (*ſed ô quis
Ex vulgo non eſt?) *recitanda)* hac lege *ligauit,*
Vt quæ nata *eſſent,* morerentur cuncta, *ſepulchri*
Certum habitura diem, Fatorum numine fixum.

Non ſapiens Ithacus, ſed nec criſtatus Achilles,
Magnanimuſue Hector, clypeoue interritus Aiax,
Aut alius, quamuis toto celeberrimus orbe,
Quantumuis florens gazis, & honoribus amplis,
Vincla huius rupit pluſquam Vulcania Legis.
Sed neque Magnatum ſublimia tecta potentum,
Nobiliumue ædes, turritaue Mœnia Regum;
Magnificæue vrbes, aut fortibus oppida muris
Firma ſatis: ſed Lege vna durantque, ruuntque.
Nunc vbi fulgenti Cræſus circundatus auro?
Nunc vbi fortunæ Priami, Troiæque ſuperbæ?
Nunc vbi Xerxis opes? vbi bellica tela Gygantum?
Cæſar vbi, & Sylla, & gemini, duo fulmina belli,
Scipiadæ? Alcides vbi nunc? vbi Martius Heros,
Heroeſque alij? quæ te loca Romule ſeruant?
Quæ vos, Atridæ? quæ Theſea, Pirithouimque,
Æneamque prium, & fidum vehementer Achatem?
Quæ Salomona tenent, quæ te loca, maxime Samſon?
Inferi habent Graccos: peryſti ſplendide Tulli:
Nec tibi, nec libris, Mors aſpera, Varro, pepercit.
Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis;
Et Babylon taceat: non ſunt Capitolia Romæ:
Collapſum eſt Fanum, quod miras fecit Athenas:
Nec Phydiæ apparent vſquam ſimulachra ſtupenda:
Nec Ptolomæi ingens turris, nec bibliotheca.
Omnia crant pariter Fatali obnoxia Legi.

Atque

Atque hîc exclamare libet, ceu Græculus ille,
Quisquis erat vates, mordaci carmine quondam:
πάντα γέλως, καὶ πάντα σχιάι, καὶ πάντα τὸ μηθὲν.
Ergo quid hi fletus? quorsum hæc insania, Ciues?
Quorsum luctificis vlulantia carmina verbis?
Siccine Pierides teneros vultusqúe, genasqúe
Turpari decuit lachrymis, atque ora madere?
Hæccine, quam canitis, doctorum gloria, *nullo*
Collapsura die? sic immortalia vestris
Sæcula, sic æuum cultoribus impertitis?
Sic Heliconiadum Viuit post funera Virtus?
Sic animam extinctis reddit miserandus Apollo?
Vestrum erat æternis hunc consecrare Camænis,
Atque æquare polo laudes, vitamqúe caducam
Perpetua, terram cœlo mutare, Deûmqúe
In solio diuinum animal super astra locare.
Hoc satis est: lachrymæ valeant, vel fœmina, plora.
Nostrum est Smithæum funus decorare canendo,
Hyblæasqúe rosas, & Hymettia spergere serta,
Et tumulo flores, ac floribus ardere Carmen.
Ossa hic pauca cubant: animus conscendit Olympũ: *Epitaphium.*
Carpe Viator iter: nihil hic lachrymabile Lector:
Sortem sorte, bonam meliori, numine plenus
Æthereo, Smithus mutauit, & incolit astra.
Occultas hominum insidias, strepitusqúe diurnos,
Nocturnosq; dolos; commentaq; subdola, & ausus

Præcipites; iraſq; truces, ac fulmina Regum;
Fortunæq; rotam, Mauortiaq; agmina temnens.
Ingenij monumenta aliquot præclara reliquit:
Hæc eme: doctus eris Græcè, doctuſque Latinè;
Anglorum literas graphicè depingere, mira
Dexteritate nouæ facient te protinus artis.
Illuſtris Regni leges, ciuilia iura,
Totius formam imperij, diſcrimina gentis
Gentibus à reliquis, & patria ſcita tenebis.
Nummorum rationem omnem; multa inſuper, illo
Præceptore, ſcies: ſcriptis quoſcunque libellos
Mandauit, pete, volue, alacri percurre labore.
Et nunc; Iſta placent: ſunt iſta illuſtria: ſunt hæc
Cordati documenta animi: ſunt ſigna laboris,
Sunt hæc ingenij; dic grato candidus ore.
Sic celebrare æquum eſt Smithæum funus, Amici.
Non lachrymæ aſcendunt cælum: ſunt carmina cordi;
Sunt Hymni: iuuat his cæleſtia ſcandere tecta.
Non opus eſt alia pompa, non veſtibus atris,
Mæſtitiæ indicibus: quorſum pallæue, togæue
Pullatæ? ſatis eſt doctum inſignire ſepulchrum
Floribus Hyblæis, & ſacra incendere thura.
Saxum ipſum loquitur, tulumuſque exclamat; Amice
Deſine ploratum: non eſt hoc marmore Smithus
Concluſus, recubat Iouis omnipotentis in Aula.

Libri, quos literis mandatos reliquit: Chartum grata, & honorifica mentione dignissimi.
De Græcæ linguæ Pronunciatione.
De Britanicæ linguæ Orthographia.
De Rep. Anglorum.
De numismatis.
Epistolæ aliquot Latinæ.

Epilo-

Epilogus, ad Ioannem Vuddum.

EXhausi mandata Deûm, iussuque canebam,
Atq; omnes pariter simul hũc agitauimus Hymnũ.
Te penes arbitrium est, Musarum candide fili,
Pieridésne tuas malis sectarier, atque
Indulgere animo fletu, mœstisque querelis:
An mecum hîc vnà Charitum modularier Hymnum,
Et madidas siccare genas, lachrymasque fugare.
Haud ego decerno quicquam: tute arbiter esto
Vudde, tuumque tuo sensu moderare dolorem.
Non præcepta aliis mandare Harueius audet.
Iamque vale, & cuius Canos viuentis amabas,
Illius & Genium, & Manes morientis honora.
Quòd si nunc rogites, quare sermone pedestri
Neglecto, numeris astringam verba ligatis,
Cum tua laxato texatur Epistola filo:
In promptu causa est: Equus est mihi Carmen, equoque
Quàm pedibus mauult portari corpus obesum.
Quanquam equus est subitò factus strigosior equo,
Sic illi stomachus languescit funere Smithi.
Vnum id iam reliquum est, dicas vt nomine nostro
Smithiadis, Vuddisque tuis, nostrisque Salutem.
Aut si quid superest aliud (nam multa supersunt
Vudde, canenda tibi, meditatis digna Camœnis,

Digna:

EPILOGVS.

Digna tuo cerebro) tempus patieris in altrum
Differri: donec renouato cœlitus igne
Mentis, & ingenij reparatis viribus, ardor
Priſtinus elucere iterum, ſolitoſque vibrare
Cæperit igniculos, nunc pæne algore rigeſcens.
Interea te Vudde, iterumque, iterumque valere,
Et meminiſſe tui ſolito Gabrielis amore,
Vel iubeo, vt mos eſt, vel, quod cuilius, opto.

CAntabrigiæ, ex Aula Pembrochiana, quarto Cal. Septembres, veſperi; cùm tuæ mihi literæ, decimoquinto perſcriptæ, duodecimo ante lucem redderentur. Ac vereor quidem certè magnopere, ne *Canis*, quod aiunt, *feſtinans*; potes augurari cætera. Verùm gerendus quamprimùm mihi mos videbatur, cùm ardentiſſimæ petitioni, tum verò etiam honeſtiſſimæ, officioſiſſimæque voluntati tuæ. Neque enim obliuiſci vllo modo in hoc tempore queo, quod olim pueri in Valdinenſi gymnaſio noſtro didiceramus: bis eum dare, qui tempeſtiuè dat, ſæpiùs, qui ci ò: & verſiculus ille peruagatiſſimus mihi venit etiamnum in mentem;

Gratia ab officio, quod mora tardat, abeſt.

Iterum Vale, & me Ioanni Vuddo, omnibuſque apud vos ſordidatis etiam, atque etiam commenda, ſi placet. Nam intereſſe ipſe ſquallori. veſtro, ante Nonas Sept. non poſſum. Vellem mediuſfidiùs, ſi poſſem. Quantus enim, quantus ſum; vel inuitus, mihi crede, Luctus ſum. Nihil opus eſt anthracina toga. Agnoſcis, credo, vocabulum. Summa erit hæc: Et nos, propinquorum ſingulare; & omnes Britanni, Reip. eximium columen amiſimus.

Alter Epilogus, ad Ricardum Harueium, fratrem, ac pupillum.

V modò, ſiquid habes lachrymarũ Frater, & annis
Jam teneris audes tragicum contexere carmen,
Quod populus videat, multiqúe examine duro
Exagitent, rigidiqúe legant, carpantqúe Poëtæ:
Macte animo, tumuloqúe aliquas affige Camænas,
Et cane Smitheæ præconia laudis, eriſqúe
Crede mihi, conatu ipſo Cenſoribus æquis
Verſifices inter, ſi non potes eſſe Poëta.
Aſpice, quàm multos vates Smitheæa crearint
Funera, quos nunquam vates potuère Magiſtri
Reddere: noctem vnam magnos feciſſe Poëtas
Fama eſt; extemplo velut olim Perſius inter
Enituit ſummos vates, Helicone relicto.
Forte aliquid magni latet ipſo in nomine; ſic iam
Emerſère noui quaſi tempeſtate Poëtæ.
Aſt tu (quandoquidem tanta eſt tibi cauſa dolendi,
Tantus & occubuit, Fatis vrgentibus, Heros)
Virgilio, quem ſæpe tibi mea lingua probauit,
Carmina, ſi deſunt, Heroica ſurripe, grandes
Suffurare pedes vati, generoſa ſonanti
Facta ducum, laudeſqúe aſtris, & nomen Olympo
Æquanti: tali ſteterit tua gloria furto,

H.j. Euge

Euge Ricarde, animos dabit vnum carmen, & altrum,
Postquam Troianam Musam, iamque, Arma, Virumque
Audieris: constat Virtus ingentibus ausis.
Par est municipem nostrum, affinemque beatis
Spiritibus sociatum, altis decorare Camænis.
Desinat Arpinum Marium iactare ferocem,
Atque decus Latij, Ciceronem extollere verbis.
Fortunata magis nostro Valdinea Smitho,
Smitho, vel centum Marijs, totidemque disertis
Æquali: solum, ingenijs non inuida nostris
Cogitur ambobus Senecis pia Corduba tandem;
Et populus Nouocomensis vel Plinio vtrique,
Non Iouio tantùm, ciui præferre recenti.
Tantum ô, quis tantum popularem non super astra
Efferat, atque adeo super ipsum mobile primum?
Vnicus ille omnes sic est prædatus honores
Atque hominum, atque Deûm, quorũ est ascriptus in albũ.
Crede mihi, meritum est Manes placasse canendo.
Ergo age, & impositis capiti, manibusque corollis,
Mente super nubes fixa, raptaque per altum,
Pierides, Phœbum, Charites, iuga summa bicollis
Parnassi, delubra Deûm, delubra Dearum
Sedulus implora: totumque Helicona duobus
Haustibus epotans, ingentem imitare furorem,
Atque altum quiddam spira, dignumque cothurno;

Ad

ALTER EPILOGVS.

Ad fingendum audax: sic nostri ex tempore facti
Grandiloqui Vates, Ioue dignum carmen anhelant.
Protinus & sic tu fies, plaudente popello,
Egregius vates, magnusque, Ricarde, Poeta.
Jamque canes tragicos, & grandes illico versus,
Feruidus igne nouo; Heroisque illustria facta,
Virtutesque amplas generoso carmine panges.
Ac veluti Phidiæ signum, pariterque probatum,
Spectatumque fuit: sic (mi mea vota nefasta,
Quod Deus auertat) iuuenilis Musa Ricardi
Jnueniet, quibus exsultet fautoribus æquis.
Audendum est *aliquid puero, qui cogitat vnquam*
Esse vir; & tum, cum fruges, & messis in herba est,
Vel motus, aut spes est: cito crescit fertilis Arbor.
Et citò Virgilius quiddam sublime tonare
Cœperat: atque puer recinebat dulcia Naso
Carmina: credo equidem, puerorum laude iuuatur,
Quæ cum lacte suem aspergit Natura salubrem.
Si nihil est aliud (vellem tamen esse, quod ipsa
Commendet nouitas: Vatem decet esse nouarum
Artificem laudum) dic occubuisse Mineruæ,
Aonidumque decus: dic interisse parentem
Totius patriæ: Latij, Graiumque columnam,
Et veterum doctrinarum quasi bibliothecam
Dic obiisse diem: dic inuida Fata, coloque

Detestare nigras, nentesque ex ordine Parcas
Exagita diris: Musasque, & Apollina quoquo
Versu itera, atque illas vitam attribuisse perennem
Defuncto exclama; mortem nos viuere, vitam
Illum perpetuam; tantum mortalibus astra
Inuidisse bonum; sibi prospexisse Tonantem.
Mercuriumque suæ metuisse, & Apollina famæ,
Si superesset adhuc: iamque inuida Fata iterumque,
Atque iterum appella: sic nostri busta celebrant
Præclarorum hominum; Vatesque videntur amicis.
Si nulla occurret melior, vita trita terenda est:
Et tamen haud nescis, quàm non decet illa Poëtam.
Succurrant priuata meæ documenta Thaliæ,
Rhetoribus paucis, paucis comperta Poëtis;
Auribus inculcata tuis sæpissimè: Ne tu
Laudem aliquam inuenies, non detrectante popello.
Est aliquid, *Chartæ nomen mandare fideli:*
Nec nihil est, *prodire tenus, si non datur vltra.*

Ricardi Harueij Mercurius, siue

Lachrymæ, à fratre, ac tutore extortæ.

INclyta Castalidum repetens monumenta sororum,
Nereïdumque domos, gelidosque palatia saxo,
Dum variis agitor studijs: animoque reuoluo,
Qualia, quanta essent, taciteque encomia pango:
Dum reputo Minoëm, Rhadamanthum, magnanimumq;
Amphitrioniadem, & Saturnum falcitenentem,
Monstraque Pyramidũ, Babyloniaque atria, & ingens
Ortygiæ templum, simulachraque grandia Diuûm:
Miror & astriferi latera immortalia Atlantis:
(Namque ego sic soleo priscis mea tempora nugis
Fallere, & ætatem producere magna legendo
Nomina, quæ nunquam fuerant fortassis in orbe):
Ecce mihi ante oculos adstat Cyllenius Heros,
(Nam mihi cognitus est virga, pulchroque galero)
Os, oculosque Deo similis, sæpsa decoram
Cæsariem nato Atlantis, lumenque Deorum,
Mirificumque decus, nitidosque adflauit honores.
Ast ego diuinum aspiciens, veneransque magistrum,
Obstupui pauitans, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, dubiusque animo miracula voluo.

Astitit Arcadius, tandemque his vocibus vsus;
Forte mihi, licet haud vnquam me nomine signans;
Ipse, ait, omnipotens hominum sator, atque Deorum,
Quem Phlegontæus Pluto colit, Oceanusque
Siluestresque timent Fauni, Satyriique procaces:
Ipse, inquam, æthereus Diuûm pater, atq; hominum rex
Iuppiter, igniferi sublimia mœnia cœli
Intuitus primùm, terras hominumque, labores
Perspicit; Anglorum tamen est impensior illi
Cura suorum, animus quibus est generosus, & altus,
Afflatusque sacro magnorum numine Diuûm.
Dum redit, itque frequens, Equites, procereſque colẽdos
Admiratur, amat genus Anglorum, Genioque
Nominat ille omnes, delectaturque viuendo,
Sicque ait: Elisabeta *vale, & viue aurea gemma,*
Numine digna meo, digitis dignissima nostris.
Non te Cecropiæ poterit superare Mineruæ
Ingenium, non Musarum: tibi cedere Iuno
Gaudet, in æternum viue augustissima Diua.
Te fugient Parcæ, perages Tithonia sæcla,
Fortunata tuis, fœlix patriæque, tibique.
Hoc satis est: tu parce bonis, subigasque superbos:
Nobilibusque viris florebis, & Aula, solumque,
Cœlum erit ingenij, virtutis, honoris aniti.
Hæc ait: & subito petit aurea sydera cursu.

Intonuit

Intonuit læuum Ioue discedente: sed ipse
Adpropero, celeriqúe gradu per sydera voluor.
Post varios cœli anfractus, reditusqúe viarum,
Ad Iouis æternum venio, celsumqúe theatrum,
Musarum plectris resonans, Charitumqúe Camænis.
Sydereum ingresso fanum, ornatumqúe Deorum
Lumine, consurgunt Musæ venienti, & amæna
Voce canunt: tibi Cylleni cantare necesse est.
Tu mihi, splendescens gemmis Polyhymnia, & auro,
Das, ait, eximia vt sim Pallade cultior, astris
Clarior, haud Phœbo cedens, Phœbiúe sorori.
Tu mihi das Veneres, Suadas, & quicquid vbique
Mortales celebrant, tolluntqúe ad sydera cœli.
Plura etiam dictura fuit: sed protinus illi
Assensere omnes Musæ, Charitesqúe: statimqúe
Iuppiter, Anglorum iubet exornare coronam;
Magnificosqúe viros sacris decorare Camænis;
Meqúe exoptantem Clarias laudare sorores,
Alternosqúe agitare hymnos, & cantica læta:
Angligenum genus ad cœlos attollere iussit.
Iamqúe ego qui Musis poteram dare carmina, Musas
Imploro, appelloqúe ipsas, Charitesqúe decoras
Inuoco, vt ad linguam veniant, poliantqúe politæ,
Qua nitidis comptos decorarem laudibus Anglos.
Conticuere omnes: tum sic me mitis Aglaia

Alloquitur, Charitesque omnes sic ore loquutæ:
Cylleni interpres, Tuus, ô facunde, quid optes
Explorare labor, nos iussa capessere oportet.
Tu nobis omne hoc regni, tu sceptra, mitramque
Largiris, tu das mensis accumbere Diuûm,
Eloquiisque facis, facundorumque potentem:
Par est supplicibus tibi subseruire Camænis.
Hæc vbi dicta dedit: Perge, inquit, Pleiade nate
Cylleni, Aönides foueantque incæpta sorores.
Extemplo, instaurato animo (licèt omnia celso
Aggrediar, faciamque animo, linguaque soluta)
Talia sublimi recinebam carmina voce.
Qui colis altisoni radiantia lumina cæli,
Qui Gangem, atque Tagum fabricatus es, auriferumque
Pactolum, & liquidos fontes, camposque patentes:
Tute sub Arctoo posuisti sydere, pictum
Fronde hortum, fructu lætum, fragrantibus herbis
Conspicuum, superis dignum, diuisque beatis:
Vobis, cælicolæ dignum, & te Iuppiter ipso.
Ille hortus floret, nec erit florentior alter,
Ille hortus redolet, nec erit redolentior alter.
Hîc crescunt Daphne Peneia, & mollis Acanthus;
Hîc Amaranthæis reuirescunt singula sertis,
Floriferumque ornat præmollis Amaracus hortum.
Hîc habitant Musæ patulo sub tegmine lauri:

Hîc

Hîc ſua frondenti celebrant conuiuia lauro
Doctiloquique omnes, & vos mea turba Poëtæ.
In multis permulta placent: ſupereminet omnes
Brutiadum Iuno, & Pallas, Reginaque gentis
Eliſabeta, *potens Herois, nobile ſydus*
Præclari imperij: poſt hanc Leceſtrius Heros
Fulget honore omni, Mecænas alter, & alter
Muſarum Phœbus: Bedfordius *alma Tonantis*
Juſſa colit: præſtat validis Oxonius *auſis:*
Et Suſſexius *eſt virtute illuſtris auita:*
Atque Huntingdonius, *nulli pietate ſecundus.*
Claret & Herfordus, *viget &* Pembrochius Heros,
Neptunuſque alter Clintonius *eſſe putatur.*
Conſilio excellit Burgleius, *acumine mentis*
Conſpicuus; ſunt & Mildmaio *præmia laudis*
Debita: ſunt & Sidneijs, *natoque, patrique;*
Sunt Valſingamo: *ſed nec mihi* Vilſo *tacendus:*
Et placet Hattonus, *placet atque* Dierus *Eliſſæ;*
Mercurioque idem magis, ac magis vſque placebunt.
Sunt alijs multis generoſæ inſignia mentis
Inclyta: ſed cunctos inter Valdineus ille
Ex variis literis compoſtus, & arte creatus
Multiplici: referens ſuperos virtute, Deúmque
Numine repletus, ſpirans cæleſtia Smithus.
Non homo, ſed Genius, nobiſque ſimillimus ipſis;

Ille mihi, placet ille mihi, velutique secundus
Mercurius, velutique Deus quidam esse videtur:
Sic est ex cunctis virtutibus ille creatus,
Sic altum sapit, & populi ludibria temnit.
Ac nisi Dijs reliquis mage constans Juppiter esset,
(Qui tamen ipse etiam mutat quandoque ministros,)
Ne foret ille Hermes, post sæcula pauca, vererer;
Tot linguis valet, & tam bellè enunciat omnes,
Ausoniam, Argolicam, Francamque, Italamq;, aliasque.
Ergo ego si quicquam potero, si Juppiter ipse,
Dum iuga montis aper, dum flumina piscis, & vndas
Gustabit, cursuque agili rapietur Olympus:
Semper honos, nomenque tuum, titulique vigebunt,
Magne senex, meritò totum cantande per orbem,
Anglorum terra, terra dignissime tanta,
Atque horti flores inter, flos optime florum.

Hæc vbi Mercurius longo sermone dedisset,
(Namque mihi longæ ambages, sermoque molestus
Esse videretur, nisi quoddam numen in illo
Esse videretur, dictante Atlantide nato)
Ille abit, & superûm cœlestia mænia scandit
Continuò, rapidoque penetrat sydera cursu.
Admirabundus steteram, cœlumque parumper
Intuitus, Dij nos, inquam, Diuique bearunt,

Si

Si talis, tantusque fiet Valdineus heros,
Quantum tu nobis retulisti Atlantica proles.
Jamque ego de insigni reputans quamplurima Smitho,
Ut primùm lux almà data est, exire, virumque
Explorare aliquem, qui tantos pandat honores
Constitui, Phœnicemque istum extollere possit:
Cùm mihi (sed fatum dicat Deus ille Deorum)
Occurrit summo Haddonus delapsus Olympo,
(Namq; Haddonus erat, vel erat bonus Angelus, ipsum
Sic habitu referens, ut sit mihi visus is ipse):
Egregiumque canens Smithum, sic ora resoluit:
Ne dubites, Harueie, fuit, fuit unica Smithus
Gloria Cantabriæ, et) venerandæ Palladis hæres.
Optimus hic Rhetor, linguarumque optimus Hermes,
Optimus & fuerat Geometres, optimus inter
Philosophos, legumque interpres optimus, atque
Summus Arithmeticus, rectique, bonique magister
Optimus, & doctor rerum optimus egregiarum,
Optimus Astrologus, Physicusque ter optimus, omni
Optimus in studio, quocunque incumberet ille:
Et fuit ingenio celso, Genioque beato,
Cœlicolas inter numerandus, et) ortus Olympo.
Hæc mihi Gualteri cùm Musa probāsset, & inde
Certa viderentur, quæ dudum proderet Hermes:
Incidi in affines quosdam, moxque omnia narro,

† pag. 61. 6 et 66. 67

Vide Canticū VII: vbi Calliope, eadem, ex quadā Haddoni oratione carminibus expressit.

Quæ mihi Mercurius, quæque alter commemorasset,
Siue Haddonus erat, siue optimus Angelus eius;
Et Smithum extollo super omnia sydera cœli.
Talis erat reuerâ olim Valdineus ille,
(Illi aiunt) interque suos, interque alienos
Præstans, & dictus Magnum Iouis incrementum.
Alter erat Ramus, Valla alter, Sturmius alter,
Altra Minerua, aliusque Hermes, atque alter Apollo.
Talis erat, prôh, talis erat, sed verba nefasta,
Talis erat: *neque enim placet vlcus tangere tantum.*
Mortuus est, inquam? superi meliora. quid? aiunt
Diuinum ingenium periisse, & dicere verum
Se credunt? sed amâbo mihi iam dicite verum.
Ah, nimis id verum est. verum est? stat fundere fletus
Perpetuos, lacerare genas, & scindere crines.
Tantané crudeles tenuit fiducia Parcas?
Siccine negligitis, quæ tota Britannia laudat;
Gallia miratur; Germania tollit ad astra;
Scotia concelebrat; gensque Itala prædicat; omnes
Vt summum decorant hominem ingeniique magistrum,
Virtutisque ducem, cunctis maioribus æquum?
Dicam ego, dicam equidem (nec me dixisse pigebit
Vnquam) præclaris Asiæ, Europæque magistris:
Nestora Brutiadum, & nostræ regionis Atlantem;
Musarumque caput, Suadæque, & Apollinis artus

Vos nimiùm ſæuo mucrone neca ſſe, perennem
Vos fontem extinxiſſe, omnis quo terra rigata eſt
Angligenum, Muſæque ipſæ, Phœbuſque Britannus?
Flectere ſi nequeo mortales, cunctipotentem
Appellabo Iouem, ſuperoſque mouebo, ſi & illi
Non intercedant votis, lachrymiſque, Acherontæ
Aggrediar precibus, flectam Cocytum, & hiantem
Cerberum, vt aſſiduè vos excruciaret, & omnes
Regna ſubingreſſas Plutonia dilaniaret.
Auxilium ſi inferna negent mihi numina, Parcis
Haud tamen Harueius parcet, magnumque patrabit
Atque ingens facinus, rabioſa percitus ira.
Namque ego ero fatum, vos & fatalia monſtra;
Et vobis fatum imponam, caſuſque cruentos.
Quòd ſi cum Smitho crudelibus occuper vmbris,
Haud metus eſt: lucrum eſt, Smitho pereunte, perire,
Intrepideque animam cum tanto effundere Diuo.
Eia agite, Harueium auditis, ſinitiſque procacem
Dicere, quæ probitas vetuêre, pudorque? an ineptum
Auditis puerum? ſed & hunc tranſmittite ad Orcum,
Indignum, quem fata iuuent, proſperque iuuentæ
Iuppiter: audacem contundite. quid? ſiluêre
Parcæ? obmuteſcunt, contemnunt vota, ſed ohe
Vt fugiunt pauidæ? ſed perſequar. euge ſorores,
Eia, inquam, gratis me oculis iam cernite, vt vnà

Cum Smitho moriar, ſplendore, animaque Ricardi;
Mercurioque etiam, Suadaque, & Apolline noſtro.
Nam me cælicolæ ſi vellent ducere vitam,
Hunc mihi ſeruaſſent, qui vita eſt noſtra, ſaluſque:
Omnium & Anglorum lumen, Solque aureus ille eſt.
Fallor ego, ſol viuit enim, ſed mortuus ille eſt.
Sol oritur: ſic Smithus: Jo. Solque occidit, eheu
Occidit & Smithus: ſed ſol tamen occidit ille:
Quem poſthac (niſi vana mihi, præſaga futuri
Mens dictat) radios cernetis fundere in orbem
Terrarum, luſtrare omnes ſub imagine gentes,
Jlluſtrare etiam, veluti ſol alter, & alter
Phœbus, honoratis vectus, roſeiſque quadrigis.
Ergo vt cum vita viuam, viuendoque Smithum
Amplectar, iam iam filum diſrumpite Parcæ;
Parcæ crudeles Smitho, mihi ſæpe petitæ,
Poſtquam dulce decus noſtrum, grandiſque patronus
Mortales fugitans, fatalibus occidit armis.
Ecce negant mortem, vitam augent, quæ mihi mors eſt,
Smitho crudeles nimiùm, mihi non ſatis æquæ.
Nam quid ego reputem? nunquid temeraria Fata
Me dignum vita, te indignum ó inclyte credunt,
Cùm tu indignus, ego letho digniſſimus eſſem?
O igitur nimium immitis, nimiumque inimica
Atropos, Anglorum cerebrum extinxiſti, oculumque

Obſcuraſti,

Obſcurasti, animamque meam, vitamque necasti.
At fruſtra: inuitis Parcis, aliiſque, mihique
Vita erit, exemplumque omnis virtutis, & artis
Regula, & in ſtudiis quaſi quoddam ſydus, & aſtrum;
Mater & ingenij; niſi vir foret; addere vellem.
Attamen interea (ſic hos dolor occupat artus,
Atque ita corripuit gemebundam inſania mentem,
Sicque animus gelidis torpet plangoribus intùs)
Aut oculi deérunt, extinguenturque liquentes,
Aut neque Lampetie, neque Phœbe, nec Phaëtuſa
Me vincent lachrymiſue vdis, mœſtiſue querelis.
Atque audi, vt Smithum reuocet, lachrymoſa Thalia,
Ad gemitum ſe componens, vultuque, ſonoque;
Smithe redi, mea gemma redi, mea ſtella redito;
Chare redi, mihi chare, meis chariſſime, cunctis
Chare redi, Phœbo, & Muſis ter chare redito.
Non ter chare redis? ergo ter chare, valeto,
Chare vale, ter chare vale, decieſque beate,
Jam decies, vicieſque vale, æternumque valeto.
Ipſe duo tibi Smithe, duoque altaria Phœbo
Conſtituam: diuoſque inter Genioſque locabo.
Hæc ea: mox buſto carmen ſuperaddidit altra
Caſtalidum, forſan Clio fuit, aut ego fallor,
Nec fallor tamen: ipſa fuit, quæ geſta virorum
Eximiùm canit, atque vmbris monumenta reponit.

Et

Epitaphiũ.

» Et viuus Cynosura fui doctisque, bonisque,
» Atque ero defunctus (nota est mea vita, librique
» Sunt etiam in manibus) Cynosura æterna: valete
» Mortales: Smithus sola immortalia curat.

His ego sic dictis; hoc vnum cogito: quàm nunc
Exstincto Smitho, vellem superesse stupendas
Ingenij dotes, inque hunc transfundier, aut hunc.
Atque vtinam hic essem: sed non mea vota supremus
Iuppiter exaudit: Britanni si tamen audit
Cuiusquam, sat id est: miserum esset, funere in vno
Tot sepeliri artes, tantosque latere labores.
Hæc voluens, renouansque alias in pectore curas,
Incipio inuitus, somno indulgere, priore
Nocte, oculis nullum intuitus, vigilantior æquo:
Non tam id sponte tamen, quàm sollicitudine mentis.
Forte autem mors est, non somnus: suscipe nostram.
Si moriar, cum Smithi anima, Deus optime, mentem.

Effigies ampliſsimi viri, Thomæ Smithi,
Equitis Britanni, atque Regij Secretarij.

Emblema Pictoris.

Ingenium nulla Manus.



In effigiem, duo honoraria Emblemata; Alterum *Illustrissimæ Reginæ*: alterum Dominæ Russellæ, iam tum fortè ad *Aulam aduentantis.*

Picturam *aspiciens*, multùm Augustissima Princeps,
Admirata parùm, (namq; ars Pictoris in illa
Haud mediocris erat, nitidisque placebat ocel-
Docta manus,) subitò sic aurea labra resoluit. (lis

Quem Iuuenem pater Henricus, cùm grandior esset,
Frater Edouardus coluit, dignumque putauit
Regia vterque Aula: fato occumbentibus illis,
Ni colerem ipsa senem, claraque in sede locarem
Eximij decoris: non stirpe viderer eadem,
Sed neque Regali reputarer sanguine creta.
Verùm ita te colui viuentem, ô optime Smithe,
Ingeniumque tuum, linguamque, ac pectus amaui:
Vt vel defuncti effigiem, Manesque colendos
Arbitrer, & Caput hoc, vultumque, oculosque, manusque,
Pectus & in primis, patrio complectar honore.
Ter denos Regno Smithos, quasi Nestoras optans,
Anteferensque illos ter centum Aiacibus, atque
Hectoribus totidem, nisi cùm fera bella gerentur.
Ni faciam, non sim, quæ nominor, ELISABETA,
Degeneresque animos cœlestia Numina plectant.

Astiti; & intuitus gemmantia Principis ora
Obstupui: steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit:

209.

Tanta erat in vultu cum Maiestate Venustas.

Vix ad me tandem rediens, ita dicere cæpi;
Ipsa Salus summam tibi dicat Elissa *salutem;*
Desuper aspiret Cœlum: Fortuna secundet
Imperium, regimenque tuum; Deus omnia fausta
Ex alto accumulet: iamque his superaddere pergo;
Haud alio decuit Smithum celebrarier ore,
Conueniuntque oculis spectacula talia tantis:
Altera cùm veniens, properansque ad Principem Elissam,
Fortè tamen Pictoris opus tam nobile spectans
Herois: Russella *fuit, (si vera ferebat*
Aulicus ille mihi) sic prætereundo, cuidam
Diceret ex alijs comitantibus Heroinis.

Hic ille est, quem, si verbis audatia detur,
Haud timeam septem præposuisse Sophis.
Acmenini, Burgleia soror cùm diceret olim:
Hunc soleo Musis præposuisse nouem.
Polluit ingenio, doctrina, moribus, ore:
Vana, Deum, Requiem, spreuit, amauit, habet.

Audij; & illa mihi fuit instar Palladis, inquam,
Et fuit hæc auri quasi Calliopæa secunda.
Credite Lectores, fas est Heroa videri,
Quemque Hera condecorat, quemque Heroina celebrat.
Dispeream, si non maius videatur, earum
Vocibus extolli, quàm quas mea Musa loquentes

Induxit

Induxit Musas : tanta est vnius in ore
Maiestas: *linguam alterius sic Suada poliuit :*
Vtraque sic Sappho est ; sic Lesbia, Cynthia, Pallas.
Sic fœlix, Regina, tuos quæ laude celebras,
Inque locis summis illustria pectora ponis.
Commune est Votum : Semper bona viuat Elissa:
Semper ego inculco : Bona semper regnet Elissa.
Vultis, vt ipse etiam Picturam laudibus ornem?
Si Charis vna essem, Charitem vix, credo, deceret,
Elisabetæo *in conspectu fundere versus.*
Angelico capiti nisi caudam stultus equinam
Jungere iam vellem, aut spectatum admittere amicos,
Vndique collatis vt membris, turpiter atrum
Desinat in piscem Regina augusta supernè.
Attamen hoc vnum liceat retulisse Poetæ,
Cui licitum est quiduis, veluti Pictoribus ipsis.

Mallem ego tam chari capitis Pictura videri,
Quàm Mens, atque Animus multorum dicier esse.
Ac potius picto Smitho iam misse dicarem
Carmina, quàm triginta vni ex mortalibus istis.
Denique Pictores cantabimus, atque Poetæ;
Ingenium non vlla manus, non vllus Apelles:
Doctrinam non vlla Charis, non vllus Apollo:
Virtutem non vlla Arete, non vlla Minerua.

Plura etiam, nobis cùm fundere plura licebit,

Extra oculos positis, extra aures Principis eius,
Cuius ad aspectum manus exhorrescit Apellis,
Nostra Thalia stupet, pæne exanimatur Apollo.

Gabriel Harueius,
inuita Minerua, Faciebat.

Tumulus clariſsimi viri, D. Thomæ Smithi. Legum doctoris. Equitis Aurati. Et Primarij duorum Sereniſsimorum Principum, Regis Edouardi Sexti, & Reginæ Elizabetæ Secretarij.



Emblema Pictoris.

Tendimus huc omnes.

Epitaphium.

HIC sistas celerem gradum Viator,
Magno *Funera dum Smitho parantur.*
An mirare, Smithum quòd ipse Magnum
Dicam, quem Tumulus teget pusillus?
Et Magnum *ingenio scias fuisse;*
Et Magnum *omnibus artibus, quæ habentur*
Doctis in precio: simulque Magna
Tractauisse negotia, atque curas
Magnas *sustinuisse* Maximorum
Regum, *quêis operam suam dicârat.*
Sic Magnusque *domi, forisque* Magnus
Nunc Magno *fruitur Poli theatro.*

THomas Bingus, Legum Doctor, atq; Regius in Academia Cantabrigiensi Professor, propitia Minerua, fecit, rogatu Gabrielis Harueij: qui, cùm & ipse versiculos sæpiùs perlegisset, & paulò post, eodem, quo Funus celebratum est, die, ornatissimis viris, generosisque hominibus, etiamnum sordidatis, Althamo, Nicolsio, Goulduellio, *duobus* Smithis, Georgio *patri, &* Gulielmo *filio,* Vuddo, Vilfordo, *nõnullis alijs, cùm prudentibus, tum etiã eruditis, iam tum pullatis, (neque enim geminos Doctores,* Pernam, *&* Leuinum *præterire debeo, vtrumque in suo genere excellentem) accuratiùs probasset: vel eximio istorũ iudicio incitatus, vel defuncti singulari desiderio percitus, vel Poetæ ipsius incredibili amore correptus, vel insigni versuum elegantia delinitus atq; captus, vel his omnibus omnino argumentis compulsus, & quasi quodam poetico instinctu derepente afflatus, statim eam, quæ sequitur, Eligiam, instar honorifici cuiusdam Corollarij addidit: commodissimúmque putauit, vt & illi in sepulchro ipso aureis Characteribus inciderentur: & hæc in aliqua inscriberetur tabula marmorea. Quàm rectè, aliorum esto Iudicium: (neque enim sibi placere solet): officiose quidem certè, atque piè.*

Gabrielis Harueij Elegia, ad Thomæ Bingi Epitaphium, Honoris ergô, aggregata.

Athletam satis est *Hercli placuisse: Poeta*
Si placeat Phœbo, Mercurioúe, sat est.
Mille oculos, ter mille aures Plato solus habebat,
Si qua adhibenda tibi, Græce Poëta, fides.
Quid quereris Sutor? Pictorem laudat Apelles,
Crede mihi, Artifici *credere in arte decet.*
Magnum est *à magno laudarier: vnus Homerus*
Præconum satis est Hectoricida, tibi.
Desine mirari, solius Carmina Bingi
Qui legis: haud tanti Musa Maronis erat.
Phœnicem Phœnix, Sol Solem, Smithus & alter
Smithum altrum, & Phœbum laudat Apollo: sat est.
Vnus homo centum testes, totidemque Poetæ:
Mille placet, soli qui tibi, Binge, placet.
Fuderat ad cumulum Lachrymas *Harueius vterque,*
Municipis nimio raptus amore sui.
Sed Lachrymæ haud prosunt: huc denique tendimus omnes,
Pictor ait: Nulli *parcere Parca potest.*
Vos quibus ingenium est, en quô contenditis omnes:
Meta eadem vobis: stat *sua cuique dies.*
Egregium verò nomen, Bingo auspice, viuet:
Dixit; crede mihi mortue, Magnus *eris.*
Non alio tumulo, non thure, aut carmine, Smitho

Est

Est opus : vnius carmine, Magnus *erit.*
Et tamen hoc liceat Tumulo superaddere carmen
Binge, tua liceat si modò pace loqui.
Nil Maius Natura tulit : Miracula cœli
Huiùs in ingenio cuncta stetêre viri.
Maximus est Smithus, Fabius si maximus olim,
Si quis adhuc fuerat Maximus, ille fuit.
Immo tantus erat, vel Apollinc Iudice, quantum
Nulla priùs terris hora, vel ora dedit.
Vis dicam ingenuè, quod sentio? Sæcula nostra
Haudquaquam tanto digna fuêre viro.
Ergo vbi per mare, per terras, ludibria mundi
Lustrasset; Quin iam restat Olympus, ait
Vixi alijs, fluctus inter, mundique procellas:
Nunc mihi victurus, Cælica regna peto.
Et simul ascendens rutilantia sydera, clamat
Huic tumulo corpus, Terra, relinquo, Vale.
At quorsum hæ Lachrymæ, tumuli spectator, Amice?
Ennius alter ego, carmina nota cano.
Nemo me Lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit: cur? volito viuu' per ora virûm.

Dixi.

Emblema παραλλητικὸν ex Horatio.

Dignum laude virum Musa vetat mori.

FINIS.

Excudebat Londini, Henricus
Bynnemanus Typographus, Anno
M. D. LXXVII. [At the Bottom of the Title Page dated 1578.]
Calendis Januarijs: rogatu Aulici cuiusdam generosi.

59468